NOVÆ HOLLANDIÆ

PLANTARUM SPECIMEN.

PARISIIS,

Apud { AUCTOREM, Montis Martis aggere (gallicè dicto *Boulevard Montmartre*), n°. 31;
HUZARD (Dominam), viâ de l'Éperon, n°. 11;
DEBURE, in vico Serpente, n°. 6. }

PARISIIS ET ARGENTORATI,

Apud { AMANDUM KŒNIG;
TREUTTEL et WURTZ. }

PARISIIS ET MOSCÆ,

Apud RISS et SAUCET.

LONDINI,

Apud { DEBOFFE, Gerard-street.
B. WHITE, Fleet-street.
G. NICOL, Pall-Mall. }

30.00

Rare Book
QK431
.L3
1804
V.1

NOVÆ HOLLANDIÆ

PLANTARUM SPECIMEN.

AUCTORE JACOBO-JULIANO LABILLARDIÈRE,

INSTITUTI NATIONALIS SOCIO.

TOMUS PRIMUS.

MISSOURI
BOTANICAL
GARDEN.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIÂ DOMINÆ HUZARD.

[Pretium cujusvis Fasciculi, cum tabulis decem æneis, octo fr.]

1804.

PRÆFATIO.

Decretâ navali expeditione, duce D. d'Entrecasteaux, *ut D.* de la Pérouse *ejusque convectores conquirerentur, Bresto naves conscendimus, die* 28 *Septembris* 1791. *Breviter commorati in Teneriffâ et in Capite Bonæ-Spei, mox faventibus auris, in Australia provecti æquora, appulimus ad terras rebus naturalibus nondùm observatis ditissimas. Vegetabilium indagationi præsertìm deditus, mihi mens est evulgare per vices quidquid de illis in hâc longâ navigatione notatu dignum existimavi.*

Aggrediar primùm dicere de plantis in Novâ Hollandiâ collectis, in terrâ scilicet Van-Leuwin et in Capite Van-Diemen, denominatione generali Novæ Hollandiæ insignitis, vasto quamvis freto disjunctis. At utile duxi sigillatìm indigitare quibusnam ex illis locis tam longo tractu inter se dissitis, terrenoque diversis, singula planta excerpta fuerit.

Bis ad diversa tempora jecimus anchoram in Capite Van-Diemen, perfugio navigatoribus tutissimo, ubi aquâ, ligno, piscibusque provideri facillimum. Hìc natura ferax, et ferè undequaque profundissima calcatur terra vegetabilis; sunt mirandæ vastissimæ proceræque sylvæ. Rivulis numerosis plerisque in mare directò influentibus solum irrigatur. Ibi plurima crescunt vegetabilia medicinæ artibusque inservienda, pauca verò hominum nutrimento, sicque indigenæ maritimis oris addicti conchyliis cancrisque præsertìm ut et marinis quibusdam plantis vescuntur.

Terræ Van-Leuwin appulimus in lat. merid. 33° 55′ *et longit. orient.* 119° 32′; *arenosum ubi undequaque solum infrequenter cum terrâ vegetabili permixtum invenies, et aquam rarissimam insuperque muriâ sæpiùs inquinatam. Attamen illa arida loca sua satque numerosa fovent vegetabilia.*

Divisum hoc opus in duas partes, plantas complectitur circiter 270, *novas ut plurimùm, juxtà methodum* Linnæi *distributas. Insuper haud neglexi, quoties superfluum non duxi, singulas ad ordinem naturalem revocare. Figuras adjeci utpotè mirabilis utilitatis adducendi in facilem cujusvis cognitionem, et*

præsertìm necessitatis absolutæ, cùm de his agitur quæ cum penitùs notis minimâ cognatione continentur. Rem carpologicam multoties explicavi, ad perfectiorem elucidationem et in philosophiæ botanicæ incrementum. Figuras curavi perficiendas usquedùm accuratè repræsentarentur objecta, primas lineas, cùm sufficerent, satis habendo, ut modico pretio hoc opus venundaretur (*); *sed partium analysim constituentium adumbratio fuit absoluta, ut de vero plantarum charactere nullus dubitet* (**).

Nova quæ condidi genera subjicio Botanicorum sententiæ, ut et alia nonnulla quæ reformavi aut emendavi. Recensitis maximâ cum curâ descriptionibus jam cursìm in vivo peractis, prodit illa pars fructûs periculosæ longæque navigationis, ad scientiarum incrementum susceptæ.

Ex toto peractum est opus, fasciculique celeriter prodibunt.

His evulgatis, si quid boni consequitur in scientiæ emolumentum, non taceam prodita hæc non fuisse in lucem, si mihi defecissent beneficia illustrissimi D. Chaptal, *dùm erat Minister Rerum internarum, eminentissimique D.* de Champagny, *ejusdem successoris.*

(*) *Expedit hìc denuntiare quod Tomi duo constabunt, circiter* 220 *fr.*

(**) *Ut omnia ferè plantarum exemplaria hìc repræsentantur magnitudine naturali, monitum erit solummodò ubi offeruntur cum proportionibus à naturali diversis; semperque indicabitur cùm partes analysim constituentes auctæ fuere lente vitreâ.*

NOVAE HOLLANDIAE

PLANTARUM SPECIMEN.

CLASSIS I.

MONANDRIA.

MONOGYNIA.

CENTROLEPIS.

Spatha multiflora. Calyx nullus. Corolla nulla. Glumæ centrales simplices. Capsula trilocularis, loculis monospermis. *Etymolog.* ab κεντρον, centrum, λεπις, squama. Squamæ seu glumæ centrales.

CENTROLEPIS FASCICULARIS. Tab. 1.

Centrolepis subacaulis, foliis setaceis, subciliatis, dimidio brevioribus scapis.

Planta herbacea, radice filamentosâ. Scapi teretes vaginati foliis diversiformibus, interioribus scilicet membranaceis, hyalinis, integerrimis, triplo brevioribus externis dentato-ciliatis. Spathæ binæ, ovato-subulatæ, concavæ, pilosæ, quadri ad sexfloræ. Calyx nullus. Corolla nulla; sed paleæ centrales, tot quot flores, vicem gerentes calycis, ovato-oblongæ, suprà dentatæ (aliæ integræ). Staminis filamentum filiforme, paulò longiùs paleâ, basi pistilli insertum; anthera versatilis, ovata, unilocularis. Germen superum, ovatum; stylus tripartitus; stigmata subacuta. Capsula ovato-subtriquetra, trilocularis, loculis à basi inæqualiter distantibus, monospermis, extùs dehiscentibus, intùs coalitis. Semina ovata, suprà terminata orbi-

culo depresso cum papillulâ mediâ prominenti, infrà subacuminata, loculorum centro affixa.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Scapus cum foliis floribusque. 2. *Idem,* floribus orbatus. 3. Flos. 4. Capsula. 5. *Eadem,* transversìm secta. 6. Semen. (Omnia magnitudine aucta.)

OBS. I^a. Stylus quandoque bipartitus est, tuncque capsula bilocularis.

II^a. Ordini Juncorum *Juss.* adnumerari debet illud genus, quamvis ab illo secedere videatur defectu calycis.

DIGYNIA.

MNIARUM.

CALYX quadridentatus. Corolla nulla. Stamen calyci insidens. Semen calyce suprà coarctato tectum (1).

MNIARUM PEDUNCULATUM. Tab. 2.

MNIARUM pedunculis semipollicaribus.

RADIX simplex, infernè ramosa. Caulis debilis vix semipedalis. Folia opposita, basi connata, acerosa, quatuor ad octo lineas longa. Flores gemini obvallati squamulis tribus ad quatuor ovatis, acutis, subcarinatis, in summo pedunculi communis tres ad sex lineas longi. Calyx tubulosus, collo coarctatus, suprà quadridentatus (raró tridentatus), dentibus erectiusculis acutis. Staminis filamentum capillare (rarè duo), summo calyci insertum sub ejusdem lacinulâ eædem oppositum; anthera globulosa, bilocularis. Germen ovato-acuminatum; styli duo recurvi; stigmata acuta. Semen unicum, ovato-acuminatum, integumento tenui hyalino vestitum, tectum calyce indurato, suprà coarctato. Corculum teretiusculum, incurvum, typo farinaceo circumpositum. Radicula supera; cotyledones semi-teretes.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Pedunculus communis nondùm evolutus, cum floribus folioque. 2. Flos separatus. 3. *Idem,* calycis dentibus avulsis. 4. Semen in calyce verticaliter secto. 5. Semen integumento denudatum. 6. Corculum solutum. 7. Pedunculus communis evolutus, cum squamulis quatuor terminalibus. (Omnia aucta.)

OBS. I^a. In ordine naturali *Juss.* collocari debet, propè Scleranthum quem inter Portulaceas invenies, quique rectiùs, ni fallor, associaretur Atriplicibus.

II^a. A Mniaro bifloro, *Forst. Com. Soc. Gœtt.* 9, *p.* 19, *tab.* 1, differt partium proportione.

---

(1) Character genericus reformatus.

CLASSIS II.

D I A N D R I A.

MONOGYNIA.

P I M E L E A.

Calyx nullus. Corolla quadrifida. Stamina fauci inserta, laciniis opposita. Stylus lateralis. Semen corticatum (1).

PIMELEA LIGUSTRINA. Tab. 3.

Pimelea foliis ovato-lanceolatis, capitulis terminalibus axillaribusque involucratis.

Frutex altitudine humanâ vix provectior. Folia opposita, sessilia, glabra. Flores in capitulis involucratis foliolis quatuor ovatis, intùs pilosis, extùs venosis, singuli pedicello piloso suffulti. Calyx nullus. Corolla monopetala, tubulosa, extùs pilosa, pilis infrà rigidioribus, limbo quadrifida, laciniis æqualibus, ovato-oblongis, subreflexis. Staminum filamenta duo fauci tubi inserta, exserta; antheræ subversatiles, ovatæ, biloculares. Germen superum, ovatum, suprà pilosum; stylus filiformis, exsertus; stigma subcapitatum. Nux corollæ basi persistente vestita, ovato-acuminata, suprà pilosa, cortice tenui, coriaceo vestita, unilocularis; semen unicum, conforme, condens.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Pistillum. 3. Nux corollæ basi persistente vestita. 4. *Eadem*, corollæ basi persistente, transversìm secta. 5. *Eadem*, denudata.

Obs. Illud genus apprimè collocari inter Thymeleas, *Juss. Ord. nat.*, nullus dubitat.

PIMELEA SPATULATA. Tab. 4.

Pimelea foliis spatulatis, glabris, capitulis involucratis.

Frutex paulò minor præcedenti. Folia opposita, avenia. Florum involucrum tetra

---

(1) Genericus character emendatus.

ad octophyllum, foliolis ovato-oblongis, glabris, aveniis. Capituli è ramorum dichotomiâ enati pedicellum vix pollicare, subaphyllum. Cætera ut in Pimeleâ ligustrinâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Pistillum.

PIMELEA FERRUGINEA. Tab. 5.

Pimelea foliis ovatis, subtùs ferrugineis, capitulis involucratis.

Frutex orgyalis. Folia opposita, glabra, rigidula, avenia. Florum capitula sæpiùs terminalia, obvallata involucro tetra ad octophyllo, foliolis suborbiculatis, acutis, glabris, ciliatis pilis rigidis, caducis. Cætera ut in præcedentibus. Corculum observavi plano-convexiusculum, radiculâ superâ, in perispermo tenui, carnoso.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos vitro paululùm auctus, avulso pedicello. 2. *Idem*, auctior, longitudinaliter fissus.

PIMELEA NIVEA. Tab. 6.

Pimelea foliis ovatis, revolutis, subtùs niveis.

Frutex orgyalis et ultrà, ramis erectis, supernè tomentoso-niveis. Folia opposita, rigida, margine revoluta, suprà viridi-atra, infrà tomentosa nivea. Flores capitati, terminales, tomentosi, involucrati foliis duobus ad quatuor cæteris consimilibus. Aliàs ut in præcedentibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, vitro auctus, longitudinaliter fissus. 3. Pistillum auctum. 4. Stamen etiam auctum. 5. Folium anticè visum. 6. *Idem*, posticè.

PIMELEA DRUPACEA. Tab. 7.

Pimelea foliis ovato-oblongis, infrà pilosis, fructibus drupaceis.

Frutex paululùm altior præcedentibus, ramulis pilosis. Folia opposita, paginâ aversâ pilis raris appressis obsitâ. Flores pilosi, capitati, axillares terminalesque (terminales magis numerosi), involucrati foliis duobus ad quatuor cæteris consimilibus, sæpiùs tamen minoribus. Stamina non exserta. Drupa baccata, ovato-globosa, pulposa, atra, unilocularis. Nux ovata, putamine crustaceo, fragili,

subatro, nitido, unilocularis. Semen unicum, conforme, pallidum. Corculum rotundato-ovatum, radiculâ superâ, in perispermo tenui, carnoso, albido.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos vitro paululùm auctus. 2. *Idem*, longitudinaliter fissus, dempto pistillo. 3. Pistillum 4. Drupa. 5. *Eadem*, pulpâ transversìm sectâ. 6. Nux.

OBS. Notare est fructum nunquam remanere vestitum corollæ basi persistente, ut observatur in præcedentibus, quippè hìc eadem basis citò disrumpitur, baccâ increscente.

PIMELEA CLAVATA.

PIMELEA foliis lanceolatis, capitulis pedicello clavato axillaribus terminalibusque.

FRUTEX orgyalis, ramulis supernè adspersis pilis raris, ut pagina foliorum aversa. Florum capituli suffulti pedicellis semipollicaribus et ultrà, filiformibus, suprà dilatatis, pilosis, involucro nullo. Cætera ut in præcedentibus.

HABITAT in capite Van-Diemen.

OBS. Omnes hæ Pimelearum species corticem præbent tenacem, funibus texendis aptissimam, plurimæque ab incolis conquiruntur, ut funiculos conficiant.

UTRICULARIA.

COROLLA ringens, calcarata. Calyx diphyllus, æqualis. Capsula unilocularis.

UTRICULARIA DICHOTOMA. Tab. 8.

UTRICULARIA scapo nudo, squamulis basi solutis, capsulâ globosâ.

HERBA paludosa. Radiculæ utriculis globosis ovatisque instructæ. Folia filiformia, subacuta, crassiuscula, radicalia. Scapus teres, spithameus, bi ad quinqueflorus, ramulis seu pedunculis dichotomis, infrà stipatis squamulis sex ad novem, ovato-oblongis, processum basi emittentibus. Calycis foliola ovata, concava, subæqualia, persistentia. Corolla monopetala, vix tubulosa, bilabiata; labio superiori plano, ovato-oblongo, in medio contracto, suprà dilatato; labio inferiori multò majori, cordato, palato crenis septem prominulo; basi calcarata, obtuso calcare. Staminum filamenta duo brevia, incurva, tubo inserta sub labio inferiori; antheræ ovatæ, uniloculares, inter se coalitæ. Germen ovatum; stylus simplex; stigma excavatum,

cyathiforme. Capsula globosa, unilocularis, semi-bivalvis, apice dehiscens, calyce cincta. Semina numerosa, suborbiculata, striata, tuberculata, receptaculo centrali, libero, affixa.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Corolla anticè visa. 2. Calyx cum pistillo. 3. Capsula calyce cincta. 4. *Eadem,* apice dehiscens, dempto calyce. 5. *Eadem,* transversìm secta. 6. *Eadem,* sectione perpendiculari, receptaculo intacto. 7. Semina.

CLASSIS III.

TRIANDRIA.

MONOGYNIA.

GENOSIRIS.

Corolla tubulosa, trifida, patens, æqualis, supera. Stigmata tria, erectiuscula. *Etymolog.* ab γενος familia, ιρις iris. Ex Iridum familiâ.

GENOSIRIS FRAGILIS. Tab. 9.

Genosiris scapis multifloris, brevioribus foliis filiformibus, compressis.

Radix tuberosa, radiculis rigidis, vix divisis. Folia basi vaginantia, linearia, acuta, compressa, tenuissimè striata, obvoluta cæteris brevibus duplo latioribus, extimis brevissimis. Scapi filiformes, subancipites, foliis duplo quadruplove breviores. Spatha diphylla, coriacea, tri ad quinqueflora, singulis floribus vicissìm erumpentibus è paleâ paululùm breviori, lanceolatâ, rufescenti-subhyalinâ. Calyx nullus. Corolla tubo cylindrico, limbo trifido, laciniis ovatis, fragilissima, cærulea. Staminum filamenta brevia, fauci tubi inserta, laciniis opposita; antheræ adnatæ, oblongæ, biloculares, exsertæ. Germen inferum, oblongum; stylus teres, exsertus; stigmata obtusa. Capsula oblonga, infrà attenuata, trilocularis, trivalvis, valvis medio septiferis. Semina plura, ovata, subatra, hyli ope dilatati affixa receptaculo per maturitatem libero, subfiliformi. Corculum subglobosum, minimum, in axi perispermi cornei, propè umbilicum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos longitudinaliter fissus, cum paleâ. 2. Capsula clausa. 3. *Eadem,* dehiscens, receptaculo libero. 4. Semen.

Obs. In Ordine naturali *Juss.* inter Irides collocari debet, propè Ixiam, à quâ differt potissimùm numero laciniarum corollæ, et receptaculo seminum libero.

XYRIS.

Calyx glumaceus. Petala staminifera. Stigmata tria. Squamæ uniflorae, imbricatæ in capitulum. Capsula supera, trilocularis.

XYRIS OPERCULATA. Tab. 10.

Xyris foliis lineari-subulatis, capitulo globoso, multifloro, petalis alternis penicilliformibus.

Radiculae vix divisæ, flexibiles, subinflatæ. Folia infernè equitantia, castanea, intùs basi villosa, exteriora breviora. Scapi subteretes, foliis duplo triplove longiores, vaginati. Flores numerosi in capitulis, squamis subrotundis, imbricatis, unifloris; singulis squamæ binæ glumaceæ, oppositæ, oblongæ, dorso pilosæ, carinatæ, persistentes, tertia ejusdem ferè longitudine calyptræformis, obtusa, latere fissa, florem nondùm expansum involvens. Corollæ petala tria ovata, unguiculata, antherifera, flava, tria alterna minora, suprà penicillata. Staminum filamenta brevia in summo unguiculi; antheræ ovatæ, biloculares. Germen superum, obovatum; stylus vix staminum altitudine; stigmata capitata. Capsula obovata, infernè attenuata, trilocularis, trivalvis, valvulis medio septiferis latere dehiscentibus, supernè retusa, clausa operculo monophyllo, circumcissè à valvulis separabili. Semina numerosa, oblonga, hinc indèque attenuata, affixa receptaculo valvularum ferè longitudine, septo earumdem vix adhærente.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Squama uniflora. 2. Squamæ binæ glumaceæ, cum tertiâ in medio calyptræformi. 3. Flos. 4. Capsula immatura. 5. Capsula matura. 6. *Eadem*, operculo soluto. 7. Semen. 8. *Idem*, auctum.

Obs. In multis differt à Xyride subulatâ, *Fl. Peruv.* 1, *tab.* 71, *fig. b*, cum quâ tamen quædam habet conformia.

LEPIDOSPERMA.

Paleæ simplices, variè imbricatæ, inferiores steriles. Squama suberoso-medullacea, quinque ad sexpartita ad basim seminis nucamentacei. *Etymolog.* à λεπιδωτος, squamatus, σπέρμα, semen. Semen squamâ munitum.

LEPIDOSPERMA ELATIOR. Tab. 11.

Lepidosperma, panicula laxa, subsecunda, vix altior foliis serrulatis.

Folia linearia, acuta, tenuissimè serrulata, nervo medio longitudinali dilatato, utrinquè elevato, basi equitantia. Culmus semi-orgyalis et altior, enodis, compressus, auctus utrinquè spathâ cæteris longiori, decurrente. Panicula vix pedalis, composita, ramulis erumpentibus è spathis sensìm minoribus, carinatis, basique (inferioribus præsertìm), indivisis, vaginantibus, primâ seu longiori bifariam decurrente in culmum; spiculæ alternæ, ovatæ, acuminatæ, paleis quatuor ad sex scariosis, ovatis, acutis, unifloris, inferioribus vacuis, superioribus duabus plenis; laterali scilicet flore abortivo aut nullo, centrali verò hermaphrodito. Calyx nullus, ut et corolla. Squama quinque ad sexpartita laciniis acuminatis, persistens, genitalia cingens, albida. Staminum filamenta tria, filiformia, sub pistillo inserta; antheræ adnatæ, biloculares, oblongæ, acuminatæ. Germen superum, ovatum; stylus subtriqueter, trifidus; stigmata acuta. Nux ovata, durissima, ossea, rufa, unilocularis, evalvis; nucleum unicum conforme condens; stipata ad basim squamâ suberoso-medullaceâ.

In abortivo flore (si adsit) invenies, in juvenili statu, omnia hermaphroditi (sed germen abortit, forsitan compressione alterius jam ætate provectioris); multotiesque evenit ut desint in toto hæ partes abortivæ, aut adsit solummodò squama suberoso-medullacea.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Ramulus spiculis florentibus. 2. Spicula aucta. 3. Flos auctus cum paleâ. 4. Nux stipata squamâ suberoso-medullaceâ. 5. *Eadem*, aucta. 6. Squama soluta, aucta.

Obs. I^a. Genus illud in Ordine naturali *Juss.* Cyperoideis adnumerari debet, propè Schœnum, à quo differt præcipuè squamâ baseos seminis nucamentacei, et distingui debet à Scleyriâ, in quâ spiculæ sunt aliæ masculæ, aliæ fœmineæ, insuper squamæ tres, seu corolla tripetala, genitalia cingens.

II^a. Huic generi associandus forsitan, quamvis squamæ dicantur senariæ distinctæ, *Schœnus involucratus, Rottb. rar., pag.* 64, *tab.* 19, *fig.* 1, qui cum dubio refertur ad Schœnum flexuosum. *Will. Spec., plant.* 1, *pag.* 263.

LEPIDOSPERMA GLADIATA. Tab. 12.

Lepidosperma paniculâ contractâ, foliis ensiformibus, integerrimis.

Folia basi equitantia, paululùm incurva, adulta marginibus integerrimis, glabris. Culmus sesquipedalis, enodis, compressus, auctus utrinquè spathâ monophyllâ,

basi indivisâ, decurrente. Spiculæ ovato-oblongæ, paleis sex ad octo scariosis, oblongis, acutis, unifloris, inferioribus vacuis. Cætera ut in præcedente.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula aucta. 2. Flos auctus cum paleâ. 3. Nux cum squamâ ad basim. 4. *Eadem*, aucta.

LEPIDOSPERMA LONGITUDINALIS. Tab. 13.

Lepidosperma, panicula elongata; medulla foliorum intercepta dissepimentis longitudinalibus.

Radiculæ vix divisæ, subinflatæ, rigidulæ. Folia basi equitantia, linearia, compressa, acuminata, farcta medullâ longitudinaliter interceptâ dissepimentis sex ad octo chartaceis, sublignosis, dissimiliter verò medulla contenta in culmis adinstar foliorum compressis. Spatha non decurrens. Spiculæ ovato-oblongæ, paleis quatuor ad sex scariosis, oblongis, acutis, unifloris, inferioribus vacuis, superioribus duabus plenis, hermaphroditis (saltem in juvenili statu). Cæterum ut in præcedentibus. Fructus immaturus, basi marcescens, attenuatus, triqueter.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula. 2. Flos cum paleâ. 3. Fructus immaturus, squamâ munitus. (Omnia aucta.)

LEPIDOSPERMA GLOBOSA. Tab. 14.

Lepidosperma spiculis subglobosis, squamæ laciniis obtusis.

Radiculæ subinflatæ, integræ. Culmus pedalis et altior, enodis, compressus, auctus utrinquè spathâ cæteris longiori, decurrente, utrinquè tenuissimè serrulatus ut folia acuta, culmo conformia. Spiculæ subglobosæ, paleis quatuor ad sex laxiusculis. Squamæ genitalia cingentis, laciniæ obtusæ. Stigmata tomentosa. Aliàs ut suprà. Fructus immaturus. Flores bini, raro terni.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula. 2. Flos cum paleâ. 3. Fructus immaturus squamâ munitus, staminum filamentis, fructûs increscentis compressione, dilatatis. (Omnia aucta.)

LEPIDOSPERMA FILIFORMIS. Tab. 15.

Lepidosperma culmo filiformi, tereti, longiori foliis subcompressis.

Folia basi vaginantia, filiformia, compressiuscula, brevia, alia breviora, setis terminata, alia subulata. Culmi teretes, filiformes, enodes, simplicissimi, bipedales. Spiculæ oblongæ, acutæ, paleis quinque ad sex ovato-oblongis, acutis, superioribus duabus plenis (rarò tribus), unico tantùm maturescente. Antheræ jam evanuerunt. Semen obovatum. Cæterùm ut in præcedentibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos cum paleâ, antheris evanidis. 2. Nux cum squamâ ad basim. (Omnia paululùm aucta.)

LEPIDOSPERMA SQUAMATA. Tab. 16.

Lepidosperma paniculâ contractâ, stolonibus squamatis.

Radiculæ vix divisæ, subinflatæ. Stolonum squamæ ovatæ, acuminatæ, scariosæ, alternatìm appressæ. Folia basi equitantia, linearia, acuminata, tenuissimè serrulata, subfalcata, compressa ut culmi sæpiùs iisdem longiores. Spiculæ paleis octo ad decem, inferioribus sensìm multò brevioribus. Flores abortivi, tres ad quatuor. Aliàs ut suprà.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula fructifera. 2. Nux cum squamâ. (Omnia aucta.)

LEPIDOSPERMA TETRAGONA. Tab. 17.

Lepidosperma foliis tetragonis, paniculâ subexpansâ.

Folia basi vaginantia, linearia, acuta, tetragona; culmi verò vix tetragoni angulis obtusis. Spicularum paleæ quatuor ad sex. Nux ovata, infrà attenuata, marcescens, triquetra, basi stipata squamâ minimâ suberoso-medullaceâ quinque ad sexpartitâ. Cætera ut in præcedentibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula aucta. 2. Flos auctus cum paleâ. 3. Nux cum squamâ ad basim, staminum filamentis compressione dilatatis. 4. *Eadem*, aucta, cum adjunctis prædictis.

SCHŒNUS.

Paleæ simplices, variè imbricatæ, inferiores steriles. Semen unicum superum, glumis tectum, setulis basi cinctum aut nudum.

SCHŒNUS ACUTUS. Tab. 18.

Schoenus culmo nudo, ut et folia spathaque compresso.

Culmus enodis, spithameus. Folia culmo paululùm longiora, suprà atrata, mucronata. Panicula uni ad tripollicaris, compressa. Spiculæ ovatæ, paleis tribus ad quatuor oblongis, acutis, subciliatis, inferioribus vacuis, superiori fertili. Calyx nullus. Corolla nulla. Staminum filamenta capillaria, sub pistillo inserta; antheræ adnatæ, oblongæ, acuminatæ, biloculares. Germen superum, subovatum, infrà attenuatum, triquetrum; stylus trifidus, laciniis subtomentosis; stigmata acuta. Nux ovata, infernè attenuata, uni ad bicostata, subossea, atra; nucleum condens unicum conforme.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula aucta. 2. Flos auctus cum paleâ 3. Semen. 4. *Idem*, auctum.

SCHŒNUS FILUM. Tab. 19.

Schoenus culmo tereti, folioso; paniculæ elongatæ spathis foliisque supernè capillaribus.

Culmus semi-orgyalis et ultrà. Folia basi vaginantia, supernè desinentia in fila pedis longitudine. Panicula dodrantalis et ultrà. Spathæ plurimæ, sensìm breviores, ut folia terminatæ filo, attamen breviori. Spicularum paleæ septem ad octo, oblongæ, acutæ, unicâ ad tribus superioribus plenis, flore centrali tantùm maturescente. Germen oblongum. Semen ovato-oblongum, hinc convexum, indè excavatum, basi stipatum filamentorum staminum reliquiis. Aliàs ut suprà.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula. 2. Flos abortivus cum paleâ. 3. Flos fertilis cum paleâ. 4. Semen basi stipatum filamentorum reliquiis, visum anticè. 5. *Idem*, posticè visum. (Omnia aucta.)

SCHŒNUS LANATUS. Tab. 20.

Schoenus culmo tereti, subnudo; palearum marginibus lanatis.

Culmus spithameus. Folia basi vaginantia, vaginis ore pilosis, suprà capillaria, semiteretia, subcanaliculata, culmis breviora. Spathæ ore lanatæ, foliolo setaceo, spiculis longiori, terminatæ. Spiculæ singulæ ad tres terminales, oblongæ, complanatæ; paleis sex ad decem lanceolatis, margine lanatis, inferioribus distichè imbricatis, superioribus duobus ad tribus congestis fertilibus. Setulæ sex, pilosæ, vix dimidio breviores paleâ, genitalia cingentes. Se men unicum, ovato-triquetrum. Cæterùm ut in præcedentibus.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Spiculæ pars supera. 2. Flos. 3. Palea. (Omnia aucta.)

DIGYNIA.

AGROSTIS.

Calyx, gluma bivalvis, uniflora. Corolla bivalvis, mutica aut aristata, non brevior calyce.

AGROSTIS OVATA. Tab. 21.

Agrostis petalo exteriore inter lacinias aristato, paniculâ ovatâ, coarctatâ, spiciformi.

Agrostis petalo exteriore antè apicem aristato, paniculâ ovatâ, coarctatâ, spiciformi. *Forst. Prod.*, n°. 40 (1).

Culmus infrà debilis, mox erectus, striatus, teretiusculus, adspersus aculeis tenuissimis, retroflexis. Folia vaginæque striata, inter se longitudine æqualia, aculeis tenuissimis, retroflexis, similiter adspersa. Calycis valvulæ ovato-oblongæ, carinatæ, carinæ aculeis erectis, exterior paululùm brevior. Corolla vix calyce longior, basi pilosa, valvulis subæqualibus; valvula exterior suprà bifida, inter lacinias aristata, laciniis inter se approximatis ut primo aspectu antè apicem sita existimetur, arista recta, serrulata, eâdem longior; valvula interior suprà dorso pilosa. Externè ad basim ejusdem valvulæ, seta enascit pilosa, eâdem dimidio

(1) Ex comparatione cum specimine à *Forst.* misso Hist. Natur. Museo Parisiensi.

brevior. Styli distantes, filiformes ut stigmata. Semen oblongum, suprà acuminatum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla, staminibus pistilloque conspicuis. 3. Pistillum. (Omnia aucta.) 4. Semen. 5. *Idem*, auctum.

AGROSTIS QUADRIFIDA. Tab. 22.

Agrostis foliis setaceis, paniculâ coarctatâ; valvulæ exterioris corollæ arista tortilis inter lacinias quatuor terminales.

Culmi teretes, striati, infrà geniculati, spithamei. Folia setacea, subinvoluta, striata, culmea breviora quàm vaginæ striatæ, infernè pilosæ. Calycis valvulæ oblongæ, acutæ, subæquales, paulò breviores corollâ, dorso suprà serrulatæ. Corolla basi pilosa; valvula exterior suprà quadrifida laciniis acutis, subæqualibus, aristâ tortili, eâdem duplo longiore, in medio laciniarum; valvula interior alterâ dimidio brevior, ovata, acuta, concava, membranacea. Staminum filamenta breviora corollâ; antheræ subglobosæ. Stigmata villosa. Aliàs ut in præcedente.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Calyx. 3. Corolla, staminibus pistilloque conspicuis. (Omnia aucta.)

AGROSTIS VIRGINICA. Tab. 23.

Agrostis paniculâ contractâ, muticâ, foliis bifariis, involutis; calycibus longitudine corollarum.

Agrostis paniculâ contractâ, muticâ, foliis involuto-subulatis, rigidis, exstantibus. *Will. Spec.* 1, *p.* 373. *Swartz. Obs.* 38.

Gramen minimum, distichè foliatum, spicâ strictiori, simplici, erectâ, muticâ. *Brown. Jam.*, *p.* 137, n°. 5.

Culmus debilis, prostratus, subcompressus, elongatus, supernè ramosus. Folia rigidula, vaginis longiora. Calycis valvulæ ovatæ, acutæ, exterior minor. Corolla longitudine calycis, valvulis ovatis, acutis, interiori marginibus replicatis alterâ paulùm minori. Staminum filamenta capillaria, longitudine corollæ; antheræ oblongæ, sulphureæ. Germen ovatum; styli duo; stigmata plumosa. Semen ovatum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Calyx. 3. Corolla, staminibus pistilloque conspicuis. (Omnia aucta.)

Obs. Ab Agrostide pungenti, *Cavan. Ic.* 2, *p.* 7, *tab.* 111, differt potissimùm foliis vix rigidis, nec suboppositis; antheris sulphureis, non verò violaceis; paniculâ magis contractâ; culmis non demittentibus radiculas è nodis; demùmque corollis longitudine æquantibus calyces, non verò ut in Agrostide pungenti, iisdem ferè duplo longioribus.

UNIOLA.

Calyx, gluma multivalvis. Spicula ovata, carinata.

UNIOLA DISTICHOPHYLLA. Tab. 24.

Uniola spiculis alternis tribus ad quatuor, foliis distichis.

Culmi debiles, prostrati, ramosi, vaginis foliorum vestiti, subteretes. Folia involuta, subulata, rigida. Spiculæ subsessiles, aliæ longiùs pedunculatæ. Calyx, gluma trivalvis (rarò bivalvis), quinque ad sexflora, valvulis distichè imbricatis, oblongis, acutis, carinatis, margine membranaceis. Corolla, gluma bivalvis, valvula exterior consimilis valvulis calycinis; interior marginibus replicatis, exteriorem paululùm supereminens. Squamæ binæ, ovatæ, suprà bifidæ, cingentes genitalia. Staminum filamenta brevia, filiformia; antheræ oblongæ, biloculares. Germen ovatum; styli duo subfiliformes; stigmata pubescentia. Semen immaturum, ovato-oblongum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula. 2. Calyx, seorsùm. 3. Corolla clausa. 4. *Eadem*, aperta, staminibus pistilloque conspicuis. 5. Squamæ, è basi genitalium, avulsæ. (Omnia aucta.)

FESTUCA.

Calyx, gluma bivalvis, multiflora; spiculis oblongis, compressis. Corolla bivalvis; valvula exterior apice mucronata aut aristata.

FESTUCA PECTINATA. Tab. 25.

Festuca spiculis distichis, divaricatis, subsessilibus, multifloris, mucronatis, maturis retroflexis.

Culmi indivisi, teretes, substriati, supernè leviter tomentosi. Folia linearia, acuta, pilosa. Calyx, gluma bivalvis, quadri ad sexflora, valvulis subulatis, rigidis, subæqualibus, striatis, glabris, persistentibus. Corollæ gluma bivalvis,

valvulis oblongis; exterior calyce longior, mucronata, quinque ad septemnervata, pilosa; interior brevior, oblongo-ovata, plana, margine replicata, pectinato-ciliata. Staminum filamenta capillaria, corollâ breviora; antheræ oblongæ, biloculares. Squamæ binæ, oblongæ, ad germinis basim. Germen turbinatum, suprà pilosum; styli subfiliformes; stigmata pilosa. Semen unicum, tenue, oblongum, suprà pilosum, longitudinaliter sulco exaratum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula. 2. Calyx. 3. Corolla, cum pistillo et staminibus. 4. Semen. (Omnia aucta.)

Obs. Spiculæ maturæ citò decidunt, remanentibus calycibus expansis, retroflexis, ut videre est in culmo *a*.

FESTUCA SCABRA. Tab. 26.

Festuca spiculis sessilibus, multifloris, aristatis, remotis, subappressis.

Culmi teretes, substriati, scabriusculi, infrà geniculati. Folia pilis scabra. Calyx, gluma quinque ad decemflora, bivalvis; valvulis lanceolatis, subæqualibus. Corolla, gluma bivalvis; valvula exterior desinens in aristam longam, triquetram, serrulatam; interior plana, margine replicata, suprà emarginata, subciliata. Germen ovatum. Semen oblongum, basi attenuatum, suprà obtusum, pilosum, hinc convexum, indè sulco exaratum. Cæterùm ut in præcedente.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spiculæ rachis partìm denudata, calyce superstite, paululùm aucta. 2. Corolla auctior, cum pistillo et staminibus.

FESTUCA LITTORALIS. Tab. 27.

Festuca paniculâ erectâ, spiculis muticis, vix calyce longioribus, foliis involutis, internè pilosis.

Culmus ramosus, teres, semi-orgyalis et ultrà. Folia involuto-subfiliformia, intùs pilosa; vaginæ glaberrimæ, infrà dilatatæ. Panicula dodrantalis, spiculis tri ad quinquefloris. Calyx, gluma bivalvis; valvulis subæqualibus, trinerviis, subulatis. Corolla bivalvis, calyce paulò minor; valvula exterior subulata, quinquenervis; interior minor, marginibus replicatis. Germen turbinatum; styli breves; stigmata villosa. Semen oblongum, utrinque attenuatum, longitudinaliter sulco exaratum. Aliàs ut suprà.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula. 2. Calyx. 3. Corolla, pistillo staminibusque conspicuis. (Omnia paululùm aucta.)

BROMUS.

Calyx, gluma bivalvis, multiflora; spiculis oblongis, teretibus. Corolla bivalvis; valvula exterior sub apice aristata.

BROMUS ARENARIUS. Tab. 28.

Bromus villosus, paniculâ secundâ, patulâ, spiculis oblongis, quinquefloris.

Culmi teretes, villosi ut folia nervosa totum culmum tegentia vaginis quarum ligula suprà dentata. Calycis valvulæ pilosiusculæ, tri ad quinquenerviæ, acutæ, exterior brevior. Corollæ valvula exterior subpilosa, suprà bifida, aristâ infrà apicem rectâ, serrulatâ, valvulæ longitudine; valvula interior brevior, ovato-oblonga, hyalina, ciliata. Staminum filamenta capillaria; antheræ subglobosæ, biloculares. Germen ovatum, suprà pilosum; styli simplices; stigmata plumosa. Semen tenue, oblongum, intùs longitudinaliter excavatum, sulcatum, suprà pilosum.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Calyx. 2. Corolla, posticè visa. 3. *Eadem*, aperta. 4. Stamina cum pistillo. 5. Semen, posticè visum. 6. *Idem*, anticè. (Omnia paululùm aucta.)

STIPA.

Calyx, gluma bivalvis, uniflora. Corolla bivalvis; valvula exterior desinens in aristam longissimam, basi articulatam.

STIPA ELEGANTISSIMA. Tab. 29.

Stipa aristis nudis, pedicellis plumosis.

Culmus semi-orgyalis et ultrà, ramosus, teres, farctus, sublignosus. Folia involuta, internodiis breviora; vaginæ subventricosæ. Panicula florens erecta, subcoarctata, matura expansa, ramulis subdichotomis pedicellisque plumosis. Calycis valvulæ acutæ, subæquales. Corollæ valvula exterior coriacea, subrugosa, basi pilosa, castanea, desinens in aristam contortam, vix pilosam; valvula interior

ovato-oblonga, membranacea, subhyalina, alterâ dimidio brevior. Staminum filamenta subcomplanata; antheræ oblongæ, biloculares, setis terminatæ. Germen oblongum; styli breves; stigmata penicilliformia. Semen oblongum, corollæ glumâ tectum.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Calyx. 3. Corolla. (Omnia paululùm aucta.) 4. Corolla, auctior.

STIPA FLAVESCENS. Tab. 30.

STIPA aristis nudis, corollis pilosis, foliis involuto-filiformibus.

CULMUS teres, sesquipedalis et ultrà. Folia involuto-filiformia, summum vaginâ brevius. Vaginarum ligula integra. Panicula semi-pedalis, coarctata, ramulis simplicibus brevioribus, cæteris divisis multò longioribus. Calycis valvulæ subæquales, acutæ, flavidæ, subhyalinæ. Valvulæ corollæ longitudine, subæquales, pilosæ, rufæ; exterior desinens in aristam subpilosam, paululùm contortam, vix flexam, basi articulatam, involvens interiorem acutam, sublinearem. Staminum filamenta planiuscula; antheræ oblongæ, biloculares. Germen superum oblongum; styli breves; stigmata penicilliformia. Semen oblongum, corollæ glumâ tectum.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla, staminibus pistilloque conspicuis.

AVENA.

CALYX, gluma bivalvis, uni aut multiflora. Corolla oblonga, bivalvis; valvula exterior aristata, aristâ dorsali contortâ (1).

AVENA FILIFORMIS. Tab. 31.

AVENA paniculâ erectâ, tenuissimâ; calycibus unifloris; aristis calyce duplo longioribus. *Forst. Prod.*, n°. 46.

CULMUS teres, infernè subgeniculatus. Folia striata, scabriuscula; vaginarum ligula oblonga, integra. Panicula è folio summo ut è spathâ erumpens, spithamea,

(1) Character genericus emendatus.

erecta,

erecta (matura expansa), ramulis dichotomis trichotomisque, scabriusculis, pedicellis apice subincrassatis. Calyx uniflorus; valvulis subæqualibus, acutis, laxis, dorso serrulatis, submembranaceis. Corolla basi pilosa; valvula exterior vix durior calyce, eodem dimidio brevior, suprà quadrifida laciniis setiformibus; arista dorsalis intorta calyce duplo longior; valvula interior ovata, suprà bifida, laciniis acutis, membranacea. Seta pilosa externè ad basim ejusdem valvulæ, hujus ferè longitudine (forsitan producta flosculo abortivo). Styli filiformes; stigmata pilosa. Cæterùm ut in congeneribus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla, setâ pilosâ conspicuâ. 3. Corolla expansa. (Omnia aucta.)

AVENA QUADRISETA. Tab. 32.

Avena paniculâ spiciformi, calycibus unifloris, corollarum valvulâ exteriori quadrisetâ.

Culmus bi ad tripedalis, teres, infernè ferè in toto vaginis tectus, supernè longè denudatus. Folia striata, scabriuscula; vaginarum ligula oblonga, integra. Panicula tri ad quadripollicaris, coarctata, spiciformis. Calyx, gluma uniflora, bivalvis; valvulis subæqualibus, acutis, dorso serrulatis. Corolla basi pilosa; valvula exterior calycis ferè longitudine, suprà quadrifida laciniis setiformibus; arista dorsalis vix eâdem duplo longior; valvula interior membranacea, ovato-lanceolata, suprà bifida, laciniis acutis. Aliàs ut in præcedente.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla. (Omnia aucta.)

Obs. Hanc inter Avenas sisto, ob partium analysim constituentium analogiam cum Avenâ filiformi, quamvis inter Agrostides æquè collocaretur ac Agrostis stricta, Agrostis Alpina, etc. Insuper genericum characterem reformandum existimavi solùmmodò, ut conveniat cum duabus his speciebus, quarum prima jam in Avenis adnumeratur à Botanicis quibusdam celeberrimis.

ARUNDO.

Calyx, gluma bivalvis, uni aut multiflora. Corolla bivalvis, basi villosa, mutica aut aristata, aristâ terminali.

ARUNDO SEMIANNULARIS. Tab. 33.

Arundo calycibus quinquefloris, paniculâ subcoarctatâ, corollarum valvulâ exteriore pilis semiannulatâ.

Radiculæ simplices, rigidiusculæ. Culmi teretes, semifarcti, cubitales. Folia (inferiora præsertìm) involuto-filiformia, omnia striata; vaginæ ore pilosæ. Calyx, gluma quadri ad quinqueflora; valvulis subæqualibus, acuminatis. Corollæ valvula exterior calyce dimidio brevior, villosa, suprà (multotiesque etiam in medio) pilis longioribus semiannulata, bipartita, inter lacinias aristata, laciniis lanceolatis, acutis, glabris, aristâ tortili; valvula interior alterâ dimidio brevior, ovato-oblonga, pilis raris adspersa, tenuissimè ciliata. Staminum filamenta planiuscula; antheræ oblongæ, biloculares. Germen ovatum; styli filiformes; stigmata barbata. Semen immaturum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Gluma calycis quinqueflora. 2. Calyx. 3. Corolla, posticè visa. 4. *Eadem*, expansa, aucta. 5. Germen, seorsùm. 6. *Idem*, auctum.

ARUNDO PENICILLATA. Tab. 34.

Arundo calycibus quadri ad octofloris, corollæ valvula exterior penicillis binis utrinquè marginata.

Culmus teretiusculus, substriatus, geniculis fulvis, sesquipedalis et ultrà. Folia undiquè pilosa, striata ut vaginæ intùs glabræ, ore pilis longioribus utrinquè tectæ. Panicula subspicata. Calycis valvulæ longitudine spiculæ, subæquales, oblongæ, acutæ, dorso quinque ad septemnerviæ, margine membranaceæ, hyalinæ. Corolla basi villosa; valvula exterior pilorum fasciculis duobus utroque latere marginata, suprà bifida, inter lacinias aristata, laciniis lanceolatis, acutis, aristâ infernè

purpurascenti-fulgidâ; valvula interior paululùm brevior, plana, ovato-oblonga, supernè emarginata, margine replicata, subciliata, membranacea, hyalina. Staminum filamenta capillaria, breviora corollâ; antheræ breves, biloculares. Germen oblongum; styli subfiliformes; stigmata villosa. Semen ovato-oblongum, sulco exaratum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Calyx cum flosculis quinque. 2. Calyx, separatìm. 3. Spicula sexflora, dempto calyce. 4. Flos, visus posticè. 5. *Idem*, expansus, pistillo staminibusque conspicuis. (Omnia paululùm aucta.)

ARUNDO POÆFORMIS. Tab. 35.

Arundo spiculis quinquefloris, compressiusculis; panicula subcoarctata vix altior foliis involuto-subulatis, incurvis.

Nùm, Poa *anceps*, paniculâ diffusâ, spiculis quinquefloris, acutis, basi pubescentibus, culmo ancipite. *Forst. Prod.*, n°. 43?

Culmus palmaris et ultrà, compressus, substriatus, internodiis infernè attenuatis. Folia involuto-filiformia, subulata, incurva, intùs basi tomentosa, striata ut vaginæ undiquè glaberrimæ, ore tomento subciliatæ. Panicula subcoarctata, pedicellis flosculo brevioribus, quibusdam subsessilibus. Calyx, gluma tri ad quinqueflora, spiculis ovatis, compressiusculis; valvulæ ovatæ, acutæ, carinatæ, dorso suprà serrulatæ, inferiori paululùm minori. Corolla basi lanuginosa; valvula exterior conformis valvulæ superiori calycinæ, carinâ infrà lanuginosâ; valvula interior minor, obtusiuscula, margine replicata. Staminum filamenta capillaria, dimidio breviora corollâ; antheræ oblongæ, biloculares. Squamæ ad basim germinis binæ, lanceolatæ. Germen turbinatum; styli filiformes; stigmata barbata. Semen oblongum, utrinquè attenuatum, longitudinaliter sulco exaratum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula. 2. Calyx, separatìm. 3. Corolla, pistillo staminibusque conspicuis. 4. Semen. (Omnia paululùm aucta.)

CLASSIS IV.

TETRANDRIA.

MONOGYNIA.

ADENANTHOS.

Corolla quadrifida, basi cincta squamis imbricatis; antheræ lineares, laciniis insertæ infrà apicem. Semen unicum, superum, tectum corollâ emarcidâ, infrà circumscissâ, glandulisque squamiformibus quatuor, ejusdem corollæ basi intùs affixis. *Etymolog.* ab αδην, glandula, ανθος, flos. Flos internè glandulis munitus.

ADENANTHOS CUNEATA. Tab. 36.

Adenanthos foliis cuneiformibus, sericeis, supernè crenatis.

Frutex altitudine humanâ vix provectior; ramis suberectis, teretibus, in summo sericeis. Folia alterna, cuneiformia, suprà crenis tribus ad quinque notata, alia paucissima integra, oblonga, omnia sericeo-argentea, terminalibus exceptis quibusdam junioribus, sericeo-sulphureis. Flores terminales axillaresque singuli ad tres, pedicellis teretibus, basi obvolutis squamulis tribus ad sex oblongis. Calyx seu involucrum è foliolis quatuor ad sex, ovatis, acutis, imbricatis, ad corollæ basim, inferioribus sensìm brevioribus. Corolla monopetala, tubulosa, demùm ampliata, subventricosa, suprà quadrifida (superiùs pressione styli profundiùs fissa), laciniis acutis, intùs sulcatis, pilosis, apice diù conniventibus, stigma involventibus, stylo inflexo jam conspicuo (ut in fig. *a*), posteà reflexis, revolutis, extùs basi pilosa, intùs munita glandulis quatuor squamiformibus, ovatis, emarginatis. Staminum filamenta brevissima; antheræ adnatæ, biloculares. Germen ovatum, pilis basi cinctum; stylus corollâ longior, utrinquè attenuatus, paululùm villosus, infrà

articulatus ; stigma ovatum. Semen unicum, ovatum, immaturum, stylo acuminatum, tectum corollâ emarcidâ, infrà circumscissâ, glandulisque squamiformibus suprà dictis, persistentibus.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos cum pedicello. 2. Pistillum cum involucro et pedicello. 3. Lacinia corollæ separata, aucta. 4. Corolla longitudinaliter fissa. 5. Pistillum dempto involucro, germine tecto corollâ infrà circumscissâ, glandulisque squamiformibus. 6. *Idem*, auctum, stylo avulso. 7. Pistillum ætate provectius, pilis baseos denudatum.

Obs. Genus illud, è Protearum ordine, à Proteâ distinguendum florum dispositione, et glandulis corollæ internis; huicque forsitan associanda Protea racemosa, quamvis in ejusdem descriptione nihil dicatur de glandulis internis prædictis.

ADENANTHOS OBOVATA. Tab. 37.

ADENANTHOS foliis ovatis, infernè attenuatis, trinerviis, nervis utrinquè confluentibus.

FRUTEX. Folia utrinquè glabra, adspersa punctulis elevatis, glanduliformibus, atratis. Calyx seu involucrum hexa ad octophyllum, foliolis ovatis, acutis, glabris, squamiformibus, imbricatis, inferioribus sensìm brevioribus. Corollæ laciniæ intùs in summo vix pilosæ; glandulæ quatuor internæ baseos ejusdem ovato-lanceolatæ, supernè paululùm emarginatæ. Aliàs ut in præcedente.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos cum pedicello. 2. Lacinia corollæ separata, aucta. 3. Pistillum cum involucro et pedicello. 4. Germen tectum corollâ infrà circumscissâ glandulisque squamiformibus. (Figura aucta.) 5. Pistillum denudatum pilis baseos.

ADENANTHOS SERICEA. Tab. 38.

ADENANTHOS foliis ternatis, decompositis, filiformibus, teretibus, sericeis.

FRUTEX ramulis teretibus, sericeis. Folia ternata, foliolis variè divisis, tribus scilicet binatis, aut lateralibus tantùm duobus binatis, intermedio ternato, aut sæpiùs lateralibus alternatìm decompositis, intermedio dichotomo. Calyx seu involucrum hexa ad octophyllum, foliolis ovatis, acutis, pilosis, imbricatis. Glandulæ

internæ baseos corollæ, ovatæ, suprà emarginatæ. Stylus glaber. Cæterùm ut in præcedentibus.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos cum pedicello. 2. Pistillum cum involucro et pedicello. 3. Corolla longitudinaliter fissa. (Omnia paululùm aucta.) 4. Germen tectum corollâ infrà circumscissâ glandulisque squamiformibus. (Figura auctior.) 5. Pistillum denudatum pilis baseos.

HAKEA.

Calyx nullus. Petala quatuor. Stamina infrà apicem petalorum inserta filamentis brevibus, antheris sulco immersis. Stigma turbinatum, mucronatum. Capsula lignosa, unilocularis, bivalvis. Semina bina, alata.

HAKEA RUSCIFOLIA. Tab. 39.

Hakea foliis sparsis, ovatis, mucronato-pungentibus, utrinquè attenuatis; capsulis obovatis.

Frutex orgyalis. Folia alterna, enervia, tenuissimè papilloso-tuberculata, in summo ramulorum numerosa, subfasciculata; juniora tomentosa, insuper pilis longis tortilibus munita ut ramuli adhùc teneri, rariùs intercepta squamis gemmaceis, oblongis, scariosis, fulvis, nondùm deciduis. Capsula tenuissimè tuberculata, atrata, sublignosa, internè suberoso-medullacea, loculamentis excentricis. Semina hinc convexa, indè plana, terminata alâ latiori margine paululùm decurrenti. Corculum nudum, radiculâ inferâ.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Capsula seminaque transversìm secta. 2. Semen parte planâ visum. 3. *Idem*, parte convexâ. 4. *Ejusdem* sectio transversalis. 5. Corculum. 6. Valvula capsulæ vacua.

HAKEA EPIGLOTTIS. Tab. 40.

Hakea foliis alternis, teretibus, mucronatis; capsulis reflexis, subcordatis, mucronato-replicatis.

Frutex altitudine humanâ vix provectior. Folia infernè paululùm attenuata, ut plurimùm inflexa, assurgentia; juniora fulvo-tomentosa ut summitas ramulorum.

Capsula tuberculata ; valvulæ longitudinaliter in medio lignosæ. Seminis ala ovata, sursùm ampliata. Cæterùm ut in præcedente.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Semen.

OBS. Hanc speciem ab Hakeâ gibbosâ fructu potissimùm differre patet omnibus.

HAKEA CLAVATA. Tab. 41.

HAKEA foliis alternis, clavatis, mucronatis; capsulis bicalcaratis.

FRUTEX paulò minor præcedente. Folia complanata, crassiuscula, rigida, supernè sensìm latiora, mucrone vix pungenti terminata, altero margine ad ramos versa. Capsulæ ovatæ, utrinquè acutæ, tenuissimè tuberculatæ, calcare dorsali, obliquo, obtuso, in summo cujusvis valvulæ. Seminis ala ovata, utroque margine decurrens. Aliàs ut suprà.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Semen. *a.* Valvula aptè sita ut calcar in toto videatur.

OBS. Hujus fruticis folia ut et præcedentis Hakeæque gibbosæ, macerata, demùm contusa, filamenta suppeditant tenuia, sericea, satisque firma ut artibus inserviant.

EMBOTHRIUM.

CALYX nullus. Corolla tetrapetala. Stamina summis petalis inserta filamentis brevibus; antheris cavitati immersis. Germen stipitatum (stipite basi munito glandulâ unicâ ad tribus). Folliculus polyspermus. Semina alata.

EMBOTHRIUM TINCTORIUM. Tab. 42 et 43.

EMBOTHRIUM foliis diversiformibus, enerviis; alis obovatis; dissepimento friabili seminibus tinctoriis interjecto.

FRUTEX orgyalis et ultrà; ramis erectis. Folia subavenia, glabra vel paginâ inferiori tomento lævi, rufo, adspersa, integerrima, oblonga, acuta, infrà attenuata; alia suprà dentata, aut pinnatifida; alia pinnata cum impari, foliolis alternis aut

oppositis, decurrentibus in petiolum. Florum panicula sæpiùs terminalis. Petala sublinearia, suprà cochleariformia ubi stamina diutiùs stigmati circumponuntur, peractâ verò fœcundatione separata, reflexa. Staminum filamenta brevissima, dilatata; antheræ adnatæ, subhastatæ, biloculares, loculorum septo bilamellato. Germinis stipes basi semicinctus glandulis tribus excavatis (plenis verò truncatisque in maturo fructu); stylus incurvus, teres; stigma peltatum, centro tuberculatum. Folliculus membranaceus, ovatus, ventricosus, utrinquè attenuatus, pedicellatus, stylo terminatus, latere gibbo dehiscens longitudinaliter; seminibus duplici ordine imbricatis, affixis utroque margine folliculi funis ope umbilicalis enati ex imo alarum. Semina octo ad sedecim, obovata, sulphureo furfure cooperta, terminata alâ obovatâ iisdem paululùm latiori, separata à se invicem lamellâ friabili, atrâ, semini alæque conformi. Corculum absque perispermo, radiculâ inferâ.

HABITAT in capite Van-Diemen.

Tab. 42.

1. Panicula florifera seorsùm. 2. Petalum. (Omnia paululùm aucta.) 3. Folliculus expansus. 4. Semen. 5. Pars disrupta friabilis dissepimenti alam obtegentis. 6. Corculum. 7. *Idem*, transversìm sectum.

Tab. 43.

1. Flos. 2. Petalum auctum. 3. Germen auctum. 4. Folliculus vix fissus, visus obliquè. 5. *Idem*, expansus.

Obs. Furfuraceus pulvis semina obtegens, infusus aquâ, roseum colorem suppeditat.

EMBOTHRIUM TRUNCATUM. Tab. 44.

EMBOTHRIUM foliis oblongis, integerrimis, aut suprà dentato-sinuatis, alis seminum truncatis.

FRUTEX sesquiorgyalis; ramis erectis. Folia oblonga, infernè sensìm attenuata, subsessilia, coriacea, paginâ inferiori pilosiuscula, venosa (ut in folio *a*), integerrima, alia sursùm dentata aut dentato-sinuata. Folliculus lignosus, oblongus, incurvus, utrinquè attenuatus, stylo terminatus, stigmate laterali, subclavato, basi semicinctus glandulâ foliaceâ. Lamella friabilis, fulva, seminibus interjecta. Seminum alæ venosæ, oblongæ, subtruncatæ. Aliàs ut in præcedente.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Semen.

Obs. Differt in multis ab Embothrio coccineo, *Cavan. Ic.* 1, *pag.* 47, *tab.* 65, sed præsertìm seminum alis subtruncatis, dùm in Embothrio coccineo easdem describit acutas auctor prædictus.

PERSOONIA.

Calyx nullus. Petala quatuor, basim versùs staminifera. Glandulæ quatuor ad basim germinis. Stigma obtusum. Drupa monosperma (1).

PERSOONIA JUNIPERINA. Tab. 45.

Persoonia foliis rectis, linearibus, mucronatis; drupâ biloculari.

Frutex semiorgyalis et ultrà. Folia sparsa, recta, rigida, pilosiuscula, mucrone pungenti terminata. Flores solitarii, axillares, luteoli, pedicellis brevibus, pilosis. Petala linearia, extùs pilis rigida, supernè reflexa. Staminum filamenta petalis affixa, quasi agglutinata ab iisque separabilia; antheræ adnatæ, oblongæ, biloculares, loculis medio septiferis, anticè dehiscentes. Germen ovatum, subcompressum, biloculare, stipitatum; glandulæ quatuor baseos stipitis, ovatæ, petalis alternæ; stylus suprà attenuatus; stigma obtusum. Drupa ovata, rubra, pulpâ eduli, stylo superstite, bilocularis, (abortu unilocularis). Semina solitaria, ovato-oblonga. Corculum absque perispermo, quadrilobum; radiculâ inferâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petalum staminiferum. 3. *Idem*, auctum filamento sejuncto. 4. Pistillum cum glandulis et pedicello. 5. *Idem*, auctum. 6. Drupa transversìm secta, seminibus conspicuis. 7. Semen. 8. *Idem*, transversìm sectum, paululùm auctum. 9. *Idem*, lobis expansis. *a* ramulus fructifer, separatìm.

Obs. Ia. Videndum in aliis omnibus ejusdem generis nùm drupa sit abortu unilocularis, ut appositè reformetur genus illud quod ad Protearum ordinem attinet.

Obs. IIa. Patet hanc speciem in multis differre à Persooniâ lineari, *Andrews, Botan. Reposit.* 77, et præsertìm foliis dimidio brevioribus, rectis, corollis minoribus, ovario biloculari.

---

(1) *Smith, Linn. Trans.* 4, *p.* 215.

OPERCULARIA.

Calyx limbo partito. Corolla supera tri ad quinquefida. Stamina, unum ad quinque. Stylus bifidus (addo aut bipartitus). Semen unicum, tectum calyce demùm bivalvi. Calycum valvis duabus ad sex compactis in receptaculum centrale subchartaceum, obversè conicum, ad margines corolliferum, receptum in cavitate conformi è valvis calycinis exterioribus connatis in calycem communem monophyllum, margine dentatum (1).

OPERCULARIA VAGINATA. Tab. 46.

Opercularia caule erecto; foliis linearibus, crassiusculis, subtriquetris, vaginis longioribus stipulis bipartitis.

Caules pedales, glabri, subangulati, basi lignosi, cortice suberoso. Folia pollicaria, inferiorum vagina tres lineas longa, multò major quàm in congeneribus, glaberrima. Calyces communes quinque ad novem in eodem capitulo, foliolis marginalibus octo ad decem lanceolatis, subæqualibus, singuli tri ad quinqueflori; floribus quibusdam interdùm compressione abortivis. Corollulæ tubulosæ, suprà quadrifidæ, laciniis expansis. Staminum filamenta quatuor, filiformia, tubi longitudine, ejusdem basi affixa; antheræ versatiles, oblongæ, biloculares, infrà bifidæ. Semina ovata, subatra, pilis brevibus albidis, sericeis, adspersa, anticè subangulata, dorso convexa, bistriata, longitudinaliter semitecta receptaculo centrali coronato foliolis decem ad sedecim lanceolatis, inæqualibus, centrali longiori, cum eodem receptaculo solubilia, attamen in juvenili statu, calycis fundo affixa. Corculum cylindraceum in perispermo carnoso, duro; radiculâ inferâ.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Calyces communes aggregati in capitulum, receptaculis centralibus deciduis. 2. Receptaculum centrale cum corollulis tribus, demptis foliolis, germinibus remansis in calycis fundo. 3. Corollula longitudinaliter fissa, expansa. 4. Omnia figuræ secundæ demptis corollulis, stylis remanentibus. 5. *Idem* receptaculum demptis corollulis et stylis, foliolis verò coronatum. 6. *Idem*, seminigerum. 7. Semen, anticè visum. (Omnia auctâ magnitudine, figurâ primâ exceptâ.)

---

(1) *Juss. Ann. Mus. Hist. Nat.* 4, *p.* 426, ubi trium specierum subsequentium à me communicatarum descriptionem contractam invenies.

OPERCULARIA SPERMACOCEA. Tab. 47.

OPERCULARIA caule erecto, foliis linearibus, crassiusculis, subtriquetris, vaginis brevioribus stipulis bipartitis.

CAULES pedales, erecti, subteretes, basi lignosi, cortice suberoso; ramulis infrà vaginas pilosis. Folia semipollicaria, vaginâ brevi. Corollulæ staminibus quatuor. Semina immatura. Aliàs ut in præcedenti.

OPERCULARIA APICIFLORA. Tab. 48.

OPERCULARIA caule diffuso, striato; foliis linearibus, planis; calycibus singulis ad quinque capitatis.

CAULES pedales, cespitosi, diffusi, glabri, gracillimi, sulcati. Folia linearia, planiuscula, suprà pilosa. Calyces communes gemini ad quinque in eodem capitulo foliolis obvallato conformibus foliis caulinis, (quidam solitarii), terminales, (rarò in dichotomiâ), undè nomen specificum, angulati, foliolis marginalibus sex ad duodecim subæqualibus, lanceolatis, pilosis, asperis, singuli tri ad quinqueflori. Corollulæ tubo brevi, limbo quadrifidæ (rariùs quinquefidæ), laciniis ovatis, reflexis. Stamina singula ad bina filamentis brevibus corollæ basi affixa; antheris oblongis, vix exsertis. Stylus profundè bipartitus, corollulâ longior, subpilosus; stigmata acutiuscula. Semina ovata, scabra, castanea, hinc convexa, indè planiuscula, tristriata; receptaculum centrale coronatum foliolis quatuor ad duodecim lanceolatis, piloso asperis, inæqualibus, centrali longiori. Cæterùm ut in præcedentibus.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

MITRASACME.

CALYX quadripartitus. Corolla subcampanulata tetragona, limbo quadrifido. Stamina æqualia. Capsula sub stylo orbiculatìm pervia, semibilocularis, evalvis, supernè dehiscens, polysperma. *Etymolog.* ab ακμη flos, μιτρα mitra; propter floris mitræ formam.

MITRASACME PILOSA. Tab. 49.

MITRASACME procumbens, foliis ovatis, floribus solitariis, axillaribus, pedunculatis.

PLANTA herbacea, tota pilosa, radice ramosâ, perenni. Ramuli subdivisi, teretes, fistulosi. Folia opposita, ovata, infrà attenuata, crassiuscula. Flores solitarii, axillares, pedunculis teretibus, longitudine folia paululùm superantibus. Calycis laciniæ oblongæ, undique pilosæ. Corollæ limbus internè subtomentosus. Staminum filamenta æqualia, basim versùs corollæ inserta; antheræ subhastatæ, biloculares, non exsertæ. Germen ovatum; stylus infrà bifidus; stigma capitatum. Capsula globosa, compressiuscula, sub stylo orbiculatìm pervia, semibilocularis, evalvis, dissepimento styli divisionibus parallelo. Semina plura, ovato-globosa, atrata, rugosula, affixa receptaculo spongioso, adnato utrinque dissepimento. Corculum rectum, teretiusculum, in perispermo carnoso; radiculâ inferâ.

HABITAT in capite Van-Diemen, ubì crescit in udis.

1. Calyx cum pistillo. 2. *Figura eadem*, aucta. 3. Corolla seorsùm. 4. *Eadem*, aucta. 5. *Eadem*, laciniis per paria oppositis, visa mitræformis. 6. *Eadem*, fissa longitudinaliter, expansa. 7. Pistillum paululùm auctum. 8. Capsula. 9. *Eadem*, aucta stylo maturitate ad summum usquè longitudinaliter fisso. 10. *Ejusdem*, sectio transversalis. 11. Semina. 12. Semen auctum.

OBS. Genus illud adnumerandum Scrophulariis, *Juss.*, palàm est.

CENARRHENES.

CALYX tetraphyllus. Corolla nulla. Staminum filamenta quatuor fertilia, quatuor alterna sterilia. Drupa monosperma. *Etymolog*. à κενος inanis, ἀῤῥην mas; propter stamina alterna sterilia.

CENARRHENES NITIDA. Tab. 50.

CENARRHENES foliis oblongis, dentatis, coriaceis; floribus spicatis.

ARBOR mediocris altitudinis. Folia alterna, oblonga, infrà attenuata, coriacea, paginâ superiori nitida. Flores in spicis simplicibus, axillaribus terminalibusque,

dimidio brevioribus foliis, suffulti bracteâ ovatâ, subacutâ. Calyx tetraphyllus; foliolis oblongis suprà attenuatis cum acumine introflexo, citò deciduis. Corolla nulla. Staminum filamenta octo brevia, complanata, horum quatuor fertilia, calycis foliolis opposita, eorumdem basi affixa, cum illis decidua; antheris ovatis, bilocularibus, adnatis; cætera alterna, persistentia, sterilia. Germen superum, ovatum; stylus suprà attenuatus; stigma obtusum. Drupa carnosa ovata, nigricans, fœta nuce evalvi, uniloculari, ovatâ, compressiusculâ, utrinque acutâ, substriatâ. Semen unicum, deorsùm acuminatum; corculo dicotyledoneo, nudo; radiculâ inferiori.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, auctus. 3. *Idem*, expansus. 4. Foliolum calycis seorsùm, auctum. 5. Drupa demptâ carne dimidiatim. 6. Drupa transversìm secta. 7. Semen.

Obs. Genus illud inter Lauros, *Juss.*, committunt ejusdem notæ præcipuæ.

EXACUM.

Calyx quadripartitus. Corolla quadrifida, tubo sæpiùs globoso. Capsula bilocularis, apice dehiscens; semina numerosa, affixa receptaculo centrali adnato (1).

EXACUM VAGINALE. Tab. 51.

Exacum foliis obovatis, acutis; corollis quinquefidis, intùs villosis.

Planta semiorgyalis, suffruticosa; ramis erectis. Folia opposita, integerrima, crassiuscula, coriacea, infernè attenuata, connata ope vaginæ brevis intrafoliaceæ, et in ramulos subdecurrentia. Flores pedunculati in paniculis dichotomis terminalibus axillaribusque, bracteis dichotomiæ ovato-lanceolatis. Calycis laciniæ ovatæ, tenuissimè ciliatæ. Corolla hypocrateriformis, intùs villosa, limbo quinquefido, laciniis semiorbiculatis. Staminum filamenta quinque, tubo inserta; antheræ versatiles, oblongæ, biloculares. Germen superum, ovatum; stylus brevis; stigma clavatum, bisulcum. Capsula ovato-oblonga, bilocularis, bivalvis, valvis ægrè

---

(1) Numerus staminum interdùm quinarius, tuncque eâdem ratione augentur calycis corollæque laciniæ. Notare expedit species duas subsequentes hic describendas esse, in ordine Linnæano, quamvis pentandræ.

separabilibus, suprà bifidis, margine introflexis. Semina plurima ovata, planiuscula, affixa receptaculo centrali valvularum marginibus adnato, et cum iisdem dissepimenti vicem supplente. Corculum teretiusculum in perispermo carnoso.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. Corolla soluta. 3. *Eadem*, longitudinaliter fissa, expansa; aucta. 4. Pistillum calyce superstite; paululùm auctum. 5. *Idem*, seorsùm. 6. Capsula. 7. *Eadem*, transversìm secta. 8. Semina. 9. Ramulus florifer.

EXACUM OVATUM. Tab. 52.

EXACUM pedunculis ex dichotomiâ flore brevioribus, cæteris longissimis; corollis quinquefidis.

CAULIS herbaceus, spithameus, subdivisus, dichotomus. Folia ovata, subacuta, sessilia, in ramis paululùm decurrentia, ut bracteæ ex dichotomiis lanceolatæ. Calycis laciniæ ovato-lanceolatæ, subcarinatæ. Corolla tubo ventricoso, calycis longitudine, limbo quinquefida, laciniis ovatis, acutis. Staminum filamenta quinque, brevia, ore tubi inserta; antheræ versatiles. Germen superum ovatum; stylus vix tubi longitudine; stigma capitatum. Capsula ovata, membranacea, bilocularis, bivalvis, valvularum marginibus introflexis, adnatis receptaculo centrali tetragono, subcorneo, et cum eodem dissepimenti vicem supplentibus. Semina plurima, ovata, planiuscula, striata, castanea.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla clausa. 3. *Eadem*, longitudinaliter fissa, expansa. 4. Calyx. 5. Pistillum. (Omnia aucta.) 6. Capsula. 7. *Eadem*, transversìm secta; aucta. 8. Semina. 9. Semen auctum.

GONOCARPUS.

CALYX superus quadripartitus. Corolla, petala quatuor aut nulla. Stamina quatuor ad octo. Capsula drupacea octogona, mono ad tetrasperma (1).

---

(1) Genericus character emendatus.

GONOCARPUS TETRAGYNA. Tab. 53.

Gonocarpus petalodes, octandra.

Caulis spithameus et triplò altior, suberectus, obtusè tetragonus, ut ramuli. Folia ovata, acuta, serrata, subsessilia, paginâ superiori scabra, superiora alterna sensìm minora; juniora undique pilosa. Flores ex axillis foliorum seu bractearum alternarum solitarii. Calycis laciniæ superstites, ovato-lanceolatæ, apice introflexæ, marginibus reflexis, coriaceæ. Petala quatuor oblonga, pilis caducis exasperata. Staminum filamenta octo brevia, filiformia, petalis calycisque laciniis opposita; antheræ oblongæ, tetragonæ, biloculares, erectæ. Germen inferum, globulosum; styli quatuor breves, distincti; stigmata penicilliformia. Capsula drupacea subglobosa, octogona, tenuissimè tuberculata, albida, calyce coronata, quadrilocularis. Semina ovata, suprà attenuata, in singulo loculamento solitaria, apici ejusdem affixa (quædam abortiva). Corculum teres in perispermo carnoso, friabili; radiculâ superâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petalum anticè visum; alterum posticè. 3. Germen cum calyce et staminibus, stigmatibus nondùm evolutis. 4. *Idem*, secto calyce, stylo unico resecto cum stigmate, cæteris tribus expansis. (Omnia præcedentia aucta.) 5. Capsula calyce, stigmatibusque coronata. 6. *Eadem*, aucta. 7. *Eadem*, transversìm secta. 8. Semen. 9. *Idem*, auctum. 10. *Idem*, longitudinaliter sectum, cum situ et figurâ corculi. 11. Folium auctum.

Obs. Ex comparatione cum Gonocarpo mycrantho, *Thunb.*, omnibusque perpensis, hæc nova species à prædicto genere non sejungenda; insuper genus illud quod in plantis incertæ sedis, *Juss.*, reperies, haud dubiè transferendum inter Onagras.

CLASSIS V.

PENTANDRIA.

MONOGYNIA.

SHEFFIELDIA.

Calyx quinquefidus, persistens. Corolla subcampanulata. Staminum filamenta decem, alterna sterilia. Capsula unilocularis, quinquevalvis.

SHEFFIELDIA INCANA. Tab. 54.

Sheffieldia caulibus erectis.

Planta erecta, tota incana, glandulis prominulis et pertusis undique adspersa. Folia alterna, crassiuscula, oblonga, acuminata, infernè attenuata. Flores axillares, terminalesque, pedunculati. Calycis laciniæ ovatæ, acutæ. Corolla limbo quinqueloba, lobis suborbiculatis. Staminum filamenta subulata; antheræ hastatæ. Germen ovatum, semi-inferum; stylus teretiusculus; stigma obtusum. Capsula semi-infera, unilocularis, apice quinquevalvis; valvulæ oppositæ calycis laciniis. Semina plurima, oblonga, incurva, atra, receptaculo centrali turbinato affixa.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla longitudinaliter fissa, expansa. 3. Germen cum calyce. 4. *Idem*, calycis laciniis resectis, remanente solummodò parte ejusdem quæ cum germine coalescit. (Figuræ præcedentes auctæ.) 5. Capsula nondùm aperta, cum calyce. 6. Capsula quinquefariam dehiscens, demptis

demptis calycis laciniis. 7. *Eadem*, aucta. 8. Receptaculum separatim, auctum. 9. Semina. 10. *Eadem*, aucta.

Obs. Ex analysi partium constat germen in Sheffieldiâ repenti æquè semi-inferum esse, capsulamque apice quinquevalvem, quamvis de illis taceat Cel. *Forster;* insuper non dubitandum quin speciatìm differat à Sheffieldiâ incanâ.

EPACRIS.

Calyx pentaphyllus, basi squamulis imbricatis. Corolla infundibuliformis. Germen squamulis quinque infrà cinctum. Capsula quinquelocularis, quinquevalvis, polysperma.

EPACRIS MYRTIFOLIA. Tab. 55.

Epacris foliis ovatis, acuminatis, trinerviis, rigidis; floribus axillaribus.

Frutex dodrantalis. Folia subpetiolata, crassa, rigida, mucronata, subtùs trinervia, nervis subparallelis, longitudinalibus. Calyx scariosus, pentaphyllus, subæqualis; squamulis quindecim ad viginti, acutis, inæqualibus, basi ejusdem imbricatis. Corolla intùs extùsque glabra; tubus vix calyce longior; limbi laciniæ ovatæ. Staminum filamenta quinque, brevia, summo tubi inserta; antheræ versatiles, oblongæ, uniloculares, bivalves. Germen superum, globosum, quinquestriatum, squamulis obovatis cinctum; stylus teres; stigma capitatum. Capsula globoso-pentagona, quinquelocularis, quinquevalvis, valvis medio septiferis. Semina plurima minuta, angulata, compressa, affixa receptaculis singulis in singulo loculamento, ex axi fructûs pendulis.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Calyx cum squamis basi imbricatis. 3. Pistillum. 4. *Idem*. 5. Squamulæ è basi germinis solutæ. 6. Corolla longitudinaliter fissa. 7. Capsula dehiscens. 8. *Eadem*, receptaculis conspicuis. 9. Stamen anticè visum, alterum posticè. (Figuræ omnes auctæ, tertiâ exceptâ.) 10. Folium posticè visum.

EPACRIS HETERONEMA. Tab. 56.

EPACRIS foliis ovato-oblongis, acuminatis, striatis; filamentis inæqualibus.

FRUTEX sesquipedalis. Folia subpetiolata, dorso striis sex ad octo notata, in ramulis hirsutis imbricata. Flores ex axillis foliorum singuli. Calycis foliola tenuissimè ciliata ut squamulæ sedecim ad viginti quatuor ejusdem basi imbricatæ. Corolla intùs vix pilosa. Staminum filamenta tubo ad summum inserta, cætera longiora ad basim; antheræ omnes in summo tubi, uniloculares. Stylus infrà crassior. Cæterùm ut in præcedente.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla visa posticè. 3. *Eadem*, longitudinaliter fissa. 4. Calyx cum squamulis basi ejusdem imbricatis. 5. Stamina, unum scilicet filamento longo instructum, alterum filamento brevi. 6. Pistillum. 7. *Idem*. 8. Squamulæ è basi germinis, separatìm. (Figuræ præcedentes auctæ, sextâ solummodò exceptâ.) 9. Capsula. 10. *Eadem*, dehiscens, aucta. 11. *Eadem*, receptaculis conspicuis. 12. Semina. 13. *Eadem*, aucta.

OBS. Corolla interdùm quadrifida et tetrandra.

EPACRIS LANUGINOSA. Tab. 57.

EPACRIS foliis lanceolatis, acutis; calyce lanuginoso; germinis baseos squamulis lanceolatis.

FRUTEX cubitalis et altior, ramulis tomentosis. Folia acuminata, sæpiùs imbricata, petiolo brevi in junioribus undiquè tomentoso. Flores ex foliorum axillis singuli. Calycis foliola ciliato-lanuginosa ut squamulæ viginti circiter baseos ejusdem imbricatæ. Corollæ tubus internè pilosus. Staminum filamenta brevissima in summo tubi; antheræ uniloculares. Germen ovatum, cinctum squamis lanceolatis, introflexis, ejusdem longitudine, brevioribus verò capsulâ maturâ; stylus in medio pilosus, subexsertus; stigma capitatum. Aliàs ut suprà.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla posticè visa. 3. *Eadem*, longitudinaliter fissa. 4. Calyx squamulis basi imbricatis, cum pistillo. 5. Pistillum separatìm. 6. *Idem*. 7. Capsula squamis cincta. 8. Squamæ seorsùm. 9. Stamina. (Omnia aucta, figurâ quintâ exceptâ.)

EPACRIS IMPRESSA. Tab. 58.

Epacris foliis lanceolatis, acuminatis; floribus singulis ad ternis axillaribus; corollis impressis.

Frutex semiorgyalis. Folia patentia. Flores axillares, sæpiùs solitarii, interdùm bini aut terni. Calycis foliola ciliata ut squamulæ quindecim ad sedecim baseos ejusdem imbricatæ. Corolla undique glabra; tubus calyce triplo longior, cavitatibus quinque versùs basim extùs impressus. Staminum filamenta vix ulla; antheræ uniloculares. Germinis baseos squamæ suborbiculatæ; stylus exsertus. Aliàs ut in præcedentibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos nondùm explicatus. 2. Flos evolutus. 3. Corolla longitudinaliter fissa, visa internè. 4. *Eadem*, externè visa. 5. Pistillum auctum. 6. Capsula transversìm secta, aucta.

Obs. Forsitan adnotare superfluum hanc in multis differre ab Epacri grandiflorâ, *Will.*, quam synonymam autumo cum Epacri longiflorâ. *Cavan. Ic.* 4, *pag.* 25, *tab.* 344.

EPACRIS CERINTHOIDES. Tab. 59.

Epacris foliis ovato-oblongis, serratis; pedunculis suprà nudis; filamentorum intermedio libero.

Frutex orgyalis, ramis divaricatis. Folia trinervia, serraturis remotis, obtusis, in quovis sinu instructis papillâ brevissimâ. Flores axillares, solitarii, dependentes è pedunculis interdùm corollâ longioribus, infrà stipatis squamulis duodecim ad sedecim, ovatis, acutis, subimbricatis, vicem gerentibus squamularum baseos calycis specierum præcedentium. Calycis foliola ovata, acutiuscula. Corolla tubuloso-ventricosa, calyce multò longior, undiquè glabra. Staminum filamenta tubi longitudine, ejusdem basi inserta, mox libera, tuncque in summo tubi arctissimè affixa; antheræ oblongæ, biloculares. Germen oblongum, retusum, pilosiusculum, basi cinctum squamulis quinque, glandulosis, ovatis; stylus exsertus, quinquestriatus. Capsula subturbinata. Cæterùm ut in congeneribus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Corolla longitudinaliter fissa, filamentis infernè solutis, paululùm aucta. 2. Pistillum cum

calyce et pedunculo, æquè paululùm auctum. 3. Capsula. 4. *Eadem*, transversìm secta, aucta. 5. *Ejusdem* sectio longitudinalis. 6. Semina.

Obs. Notatu dignum in omnibus hìc descriptis speciebus antheras uniloculares esse, hâc ultimâ exceptâ quæ squamulis basi pedunculi imbricatis, ejusdem corollæ formâ, filamentorum insertione, præsertìmque foliis et facie à congeneribus ita recedit, ut saltem in eodem genere sectionem quàm maximè distinctam constituat.

STYPHELIA.

Calyx pentaphyllus, basi squamulis imbricatis. Corolla tubulosa. Germen squamulis quinque aut squamâ annulari infrà cinctum. Drupa quinquelocularis, seminibus solitariis aut binis (1).

STYPHELIA RICHEI. Tab. 60.

Styphelia corollæ limbo reflexo, hirsuto; racemis axillaribus, erectis; foliis oblongis, trinerviis.

Frutex humanâ altitudine vix provectior. Folia sessilia tri ad quinquenervia, infernè tenuissimè striata. Flores in racemis infrà squamosis vix pedicellati. Calycis foliola quinque ovato-oblonga, scariosa, margine membranacea, squamulis duabus dimidio brevioribus ad eorumdem basim oppositis, cum bracteâ squamiformi, persistenti. Corolla, tubo vix calycis longitudine, laciniis quinque oblongis suprà hirsuto-niveis. Staminum filamenta ore tubi inserta, infràque producta tubo adnata, laciniis alterna; antheræ versatiles oblongæ, uniloculares, bivalves. Germen superum, ovatum, infrà cinctum squamis quinque suborbiculatis; stylus teres; stigma capitatum, tuberculatum. Drupa ovata, lævi pulpâ eduli cooperta, nuce quinqueloculari, seminibus solitariis, ovato-oblongis, ex axi fructûs pendulis. Corculum cilindraceum, in perispermo carnoso; radiculâ superâ.

Habitat in terrâ Van-Leuwin, ubì Domino *Riche* deerranti ab itinere, dirâque fame coacti, in cibo fuerunt drupæ parvulæ ejusdem fruticis.

1. Flos. 2. *Idem*, auctus. 3. Corolla seorsùm, longitudinaliter fissa, aucta. 4. Calyx auctus cum baseos squamis duabus oppositis. 5. Pistillum auctum, squamulis cinctum. 6. Drupa paululùm aucta cum calyce cujus foliola maturitate fiunt latiora et obtusa. 7. *Eadem*, transversìm secta. 8. Nucis plurimùm auctæ, sectio longitudinalis. 9. Semen auctum, longitudinaliter sectum, cum situ et figurâ corculi.

---

(1) Character genericus emendatus.

Obs. I^a. Genus *idem* cum *Ardisiâ*, *Gærtn. sem.* 2, *tab.* 94, *fig.* 2, cujus semina (immatura procùl-dubiò observata), cum errore nuda figuravit. Expedit adnotare talem seminum structuram haud parùm addere cæteris rationibus associandi genus illud cum Ericis.

Obs. II^a. Drupæ loculorum numerus naturalis quinarius, dùm abortu sæpiùs quaternarius, aut ternarius.

STYPHELIA GLAUCA. Tab. 61.

Styphelia corollæ limbo plano imberbi; racemis erectis, axillaribus; foliis ovato-oblongis, infernè glaucis.

Frutex orgyalis. Folia pedunculo brevi, planiusculo, acuminata, paginâ inferiori tenuissimè striata, glauca. Flores in racemis subcapitatis, infrà nudis, breviter pedicellati, singuli suffulti bracteâ ovatâ, squamiformi, ut in præcedenti specie, squamulis duabus oppositis, subcarinatis, baseos calycis cujus foliola suborbiculata. Corolla tubo brevi undique glabra. Staminum filamenta vix longiora antheris incumbentibus, ovato-oblongis, bivalvibus, septo longitudinali mediante semibilocularibus. Germen basi cinctum squamâ quinquedentatâ; stylus brevis, infrà crassior; stigma obtusum. Drupa nucleo quinqueloculari, seminibus solitariis (abortu sæpiùs uniloculari). Corculum teres, in perispermo carnoso.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos auctus. 2. Calyx separatìm, auctus, cum squamulis baseos oppositis. 3. Drupa nondùm matura cum calyce et squamulis prædictis. 4. *Eadem* seorsùm, transversìm secta, aucta. 5. Drupa abortu unilocularis, transversìm secta, aucta, cum situ et figurâ seminis visi dimidiatìm.

STYPHELIA SERRULATA. Tab. 62.

Styphelia corollæ limbo patente, hirsuto; florum capitulis axillaribus; foliis lineari-lanceolatis, serrulatis.

Frutex spithameus, sæpiùs procumbens, rigidus. Folia sparsa, subtùs tri ad quinquenervia, mucronata, serrato-ciliata (quædam diversiformia suprà latiora). Capituli florum pedunculus communis imbricatus squamulis orbiculatis. Antheræ uniloculares, peltatæ. Germen ovatum, quinquestriatum, basi cinctum squamâ annulari; stylus suprà attenuatus; stigma subacutum. Cæterùm ut in præcedentibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Drupa cum calyce et squamulis baseos oppositis. 3. *Eadem* seorsùm, transversìm secta. 4 et 5. Folia posticè visa. (Figuræ omnes auctæ.)

STYPHELIA CORDATA. Tab. 63.

STYPHELIA corollæ limbo patente, piloso; floribus solitariis aut binis, axillaribus; foliis cordatis, crassiusculis.

FRUTEX dodrantalis. Folia cordata (quædam ovata), rigida, crassiuscula, subtùs striata, petiolo brevi, semitereti. Florum pedunculus communis brevis, imbricatus squamulis orbiculatis. Calycis foliola suborbiculata ut squamulæ binæ oppositæ carinatæ baseos ejusdem bracteaque. Corollæ tubus pilis raris internè adspersus, limbi laciniis sub summo intùs penicillatis; antheræ biloculares, bivalves. Germen basi cinctum squamâ annulari. Corculum observavi cilindraceum in medio perispermi carnosi albidi. Aliàs ut suprà.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos auctus, corollâ basi solutâ eminenti suprà germen jam ætate provectum. 2. Corolla longitudinaliter fissa, aucta. 3. Germen auctum cum squamâ annulari. 4. Drupa cum calyce et squamulis duabus baseos oppositis. 5. *Eadem*, aucta. 6. Drupa seorsùm. 7. *Eadem*, transversìm secta, paululùm aucta.

STYPHELIA VIRGATA. Tab. 64.

STYPHELIA corollæ limbo patente, hirsuto; racemis axillaribus terminalibusque; foliis oblongis, subinvolutis.

FRUTEX cubitalis. Folia oblonga, subulata, marginibus inflexis, tenuissimè serrata, subpetiolata, patentia, quædam adpressa, ramulos involventia. Racemorum pedunculi communes brevissimi, squamulis imbricatis, floribus in capitulum congestis, vix pedicellatis. Calycis foliola subciliata ut binæ squamulæ baseos ejusdem et bractea. Corollæ laciniæ hirsutie suprà canescentes, oblongæ; antheræ uniloculares, medio septiferæ. Germen turbinatum, quinquestriatum, basi cinctum squamâ monophyllâ, annulari; stylus brevissimus; stigma globulosum, tuberculatum. Drupa ovata, retusa, subpedunculata, quinquelocularis. Semina solitaria, aliaque multa ut in præcedentibus.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos cum squamulis binis calycis baseos. 2. Drupa. 3. *Eadem*, transversìm secta. (Omnia aucta.)

Obs. Cùm Epacris spuria, *Cav. Ic.* 4, *p.* 27, *tab.* 347, *fig.* 1, quæ ad Stypheliæ genus reverà attinet, hanc primo aspectu simulet speciem, dicam in multis ab eâdem differre, et potissimùm foliis sessilibus, squamulis baseos calycis numerosis, non verò binis, germineque cincto squamulis quinis.

STYPHELIA COLLINA. Tab. 65.

Styphelia corollæ limbo patente, hirsuto; racemorum squamulis ciliatis, nervosis; foliis planis, oblongis, sessilibus, serrato-ciliatis.

Frutex pedalis. Folia sparsa, juniora undique testacea. Racemi oblongi simplices aut bini, sæpiùs terminales, in ramulis pilosis, substriatis. Calycis foliola ciliata ut binæ squamulæ oppositæ, carinatæ, baseos ejusdem et bractea extùs quinque ad septem nervata. Antheræ uniloculares, medio septiferæ. Germen ovatum, infrà cinctum squamâ quinquepartitâ, laciniis subacutis; stylus brevis; stigma obtusum. Drupæ quinquelocularis, ovato-oblongæ, loculis tribus ad quatuor abortivis. Semina solitaria, cæterùmque ut in suprà descriptis.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos cum squamulis duabus calycis baseos oppositis. 2. Corolla longitudinaliter fissa. 3. Calyx cum squamulis prædictis. 4. Pistillum squamâ quinquepartitâ cinctum. 5. Drupa. 6. *Eadem*, transversìm secta. (Omnia aucta.)

STYPHELIA TRICHOCARPA. Tab. 66.

Styphelia corollæ limbo patente, hirsuto; drupâ pilosâ; racemis axillaribus, paucifloris.

Frutex semiorgyalis. Folia ovato-oblonga, marginibus paululùm reflexis, obtusè acuminata, sessilia. Florum racemi debiles, vix foliorum longitudine, bi ad triflori, seu flores solitarii. Pedunculi communis pilosi, squamæ laxæ; pedicelli bracteâ suffulti ut in præcedentibus, sìcque de squamulis binis oppositis foliolisque calycinis vix ciliatis. Antheræ incumbentes, uniloculares. Germen pilosum, squamulis quinque rhomboideis, infrà adnatis; stylus vix exsertus; stigma globulosum. Drupa pentagona, pilosiuscula.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos solitarius cum pedunculo, bracteâ sitâ posticè, ut faciliùs inspiciantur squamulæ binæ calycis baseos. 2. Corolla longitudinaliter fissa. 3. Pistillum squamis rhomboideis sejunctis. 4. Drupa calyce cincta, stylo disrupto coronata. 5. *Eadem* seorsùm, squamulis infrà adnatis. 6. *Eadem*, transversìm secta. (Omnia aucta, quartâ figurâ exceptâ.)

STYPHELIA OBOVATA. Tab. 67.

STYPHELIA corollæ limbo reflexo, hirsuto; racemis terminalibus; foliis obovatis, oblongis.

FRUTEX vix pedalis; foliis ut in præcedenti specie obtusè acuminatis, margine paululùm reflexis. Racemi multiflori, sæpiùs divisi. Antheræ septi medii ope semi-biloculares. Squama annularis quinquedentata, germini globoso subtùs adnata. Drupa globosa, quinquelocularis, glabra; seminibus solitariis. Aliàs ut in præcedenti. Corculum observavi gracile, teres, in medio perispermi carnosi, albidi, ejusdem ferè longitudine; radiculâ superâ, longâ; cotyledonibus brevissimis.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. Corolla seorsùm, posticè visa. 3. *Eadem*, longitudinaliter fissa, aucta. 4. Calyx cum squamulis binis oppositis. 5. *Idem*, auctus. 6. Pistillum auctum cum squamâ annulari. 7. Drupa calyce cincta, squamulisque binis oppositis. 8. *Eadem* seorsùm, transversìm secta.

STYPHELIA ABIETINA. Tab. 68.

STYPHELIA corollæ limbo patente tuboque pilosis; floribus solitariis, axillaribus; foliis lineatis, acerosis, confertis.

FRUTEX orgyalis. Folia petiolata, obtusè acuminata, quinque ad septem lineata, rigidissima. Squamulæ sedecim circiter, inferioribus sensìm minoribus, basi calycis imbricatæ, eodemque haud minùs ciliatæ, striisque tribus ad quinque fulvis notatæ. Corollæ tubus internè pilosus ut limbus ejusdem. Antheræ uniloculares. Squamulæ quinque suborbiculatæ, basi germinis adnatæ. Drupæ nux suborbiculata, suprà acuminata, crassissimâ carne obvoluta. Semina solitaria, aliaque multa ut in præcedentibus.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos cum squamulis baseos imbricatis. 2. *Idem*, auctus. 3. Corolla posticè visa, aucta. 4. *Eadem*, longitudinaliter fissa. 5. Pistillum cum squamulis basi adnatis. 6. *Idem*, auctum. 7. *Ejusdem* sectio transversalis. 8. Drupæ immaturæ sectio longitudinalis. 9. Drupa matura. 10. *Eadem*, posticè visa cum calycinis foliolis. 11. *Ejusdem* sectio transversalis, intactâ nuce, ut de carnis crassitie judicetur.

OBS. Notare expedit in hâc specie, ut in sequenti et aliis quibusdam, squamulas quinque distinctas ad basim germinis inter se, compressione fructûs maturescentis, ità coalescere, ut in adulto mutentur in squamam monophyllam annularem.

STYPHELIA

STYPHELIA OXYCEDRUS. Tab. 69.

STYPHELIA corollæ limbo patente, vix piloso; floribus solitariis, axillaribus; foliis lanceolatis, quinquenerviis, sparsis, reclinatis.

FRUTEX humanâ altitudine vix provectior. Folia mucronata, subtùs cinerea, quinque ad septemnervia, nervis longitudinalibus, parallelis, subpetiolata, integerrima, horizontalia, vel sæpiùs reclinata. Squamulæ duodecim circiter basi calycis imbricatæ, ut et ipsemet calyx subciliatæ. Corollæ limbus pilis raris brevissimisque instructus. Cæterùm ut in præcedenti specie.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos cum squamulis baseos imbricatis. 2. *Idem*, auctus. 3. *Idem*, corollâ sejunctâ. 4. Corolla longitudinaliter fissa, aucta. 5. Pistillum cum squamulis basi adnatis. 6. *Idem*, auctum. 7. Drupa. 8. *Eadem*, posticè visa cum foliolis calycinis. 9. *Ejusdem* sectio transversalis, intactâ nuce ut carnis spissitudo dignoscatur. 10. Nux. 11. *Ejusdem* sectio transversalis.

CAMPANULA.

COROLLA campanulata, fundo clausa valvis staminiferis. Stigmata tria vel quinque. Capsula infera trilocularis (rariùs quinquelocularis), poris lateralibus aut apice dehiscens, polysperma.

CAMPANULA LITTORALIS. Tab. 70.

CAMPANULA caule subunifloro; foliis lanceolatis, dentatis; antheris brevioribus filamentis.

CAULIS teretiusculus, infrà debilis, simplex aut divisus, ramulis sterilibus brevibus, unico ut plurimùm florifero, pedali, floribus singulis (raró binis, in pedunculis ejusdem ramuli ferè longitudine). Folia dentato-glandulosa aut integerrima, subtùs margine crassiora, subcartilaginea, setis raris adspersa, ima

summaque breviora, inferioribus oppositis. Calycis laciniæ lanceolatæ. Corollæ divisæ ultrà medium laciniæ ovatæ, acutæ. Staminum filamenta apice latiora, tridentata, intùs tomentosa; antheræ lineares, breviores filamentis, biloculares. Germen inferum, ovatum; stylus suprà crassior; stigmata tria, acuta. Capsula trilocularis, apice trifariam dehiscens, valvulis medio septiferis. Semina plurima, ovato-complanata, angulo interiori loculorum affixa.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Corolla soluta, longitudinaliter fissa. 2. Pistillum cum calyce. 3. *Idem*, calycis laciniis resectis, staminibus conspicuis. 4. Stamen solutum, auctum. 5. Capsula calycis laciniis coronata. 6. *Eadem*, demptis calycis laciniis. 7. *Ejusdem* sectio transversalis. 8. Semina.

L O B E L I A.

CALYX quinquefidus. Corolla monopetala, irregularis. Antheræ cohærentes. Capsula infera bi vel trilocularis, apice dehiscens, polysperma (1).

LOBELIA GIBBOSA. Tab. 71.

LOBELIA foliis linearibus; capsulis racemorum gibbosis; caule erecto.

PLANTA pedalis, radice perpendiculari, subdivisâ, caule teretiusculo, foliis alternis, glabris. Flores in racemis subsecundis bibracteati, bracteis subulatis vix longitudine pedicellorum. Calycis laciniæ oblongæ, acutæ, staminibus triplò breviores. Corolla cærulea, tubulosa, suprà longitudinaliter fissa usque ad basim, limbo bilabiata; labio superiore laciniis duabus lanceolatis, reflexis, paulò longioribus quàm stamina; labio inferiore trifido, majore, laciniis æquè lanceolatis. Staminum filamenta quinque infrà distincta, corollæ tubo affixa; antheræ totidem in tubum connatæ, lineares, biloculares, in summo hispidæ. Germen inferum, oblongum; stylus incurvus, teres; stigma bilamellatum.

---

(1) Forsitan non intempestivum admonendi me secutum fuisse ordinem à Willdenow delectum in ejusdem *Linn. Spec. Plant.* editione.

Capsula ovata, gibbosa, bilocularis, apice dehiscens, dissepimento valvulis contrario. Semina plurima, ovato-triquetra, rufa, affixa receptaculo adnato utrinquè dissepimento.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, semotâ corollâ cum staminibus. 3. Corolla seorsùm, expansa, staminibus et stigmate conspicuis. 4. Capsulæ paululùm auctæ sectio transversalis. 5. Semina.

LOBELIA ALATA. Tab. 72.

Lobelia floribus axillaribus; caule alato; foliis radicalibus ovato-lanceolatis, dentibus glandulosis, reflexis.

Planta cubitalis, caule debili, suberecto, ramoso, alato foliis decurrentibus, linearibus, integerrimis aut dentato-glandulosis, dentibus sæpiùs reflexis; folia verò radicalia petiolata, ovato-lanceolata, omnia dentata. Calycis dentes brevissimi. Capsula oblonga, infrà attenuata, bilocularis, apice dehiscens. Semina plurima, orbiculato-complanata, dilutè fulva. Aliàs ut in præcedenti.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos paululùm auctus. 2. Capsulæ sectio transversalis. 3. Semina. 4. Folium radicale.

LOBELIA CUNEIFORMIS. Tab. 73.

Lobelia floribus axillaribus; foliis cuneiformibus, suprà dentatis, decurrentibus.

Caulis herbaceus, divisus, pedalis, infrà subtrigonus. Folia superiora acuta, suprà bi ad quadridentata, inferiora sex ad octodentata, obtusa, omnia decurrentia. Calycis laciniæ acutæ, staminibus quadruplò breviores. Germen turbinatum. Capsula oblonga. Aliàs ut in præcedentibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos paululùm auctus. 2. *Idem*, demptis calycis laciniis, partìmque corollâ, ejusdem reliquiis expansis, filamentis staminum conspicuis. 3. Pistillum æquè paululùm auctum. 4. Capsulæ sectio transversalis. 5. Semina. 6. Semen auctum.

LOBELIA HETEROPHYLLA. Tab. 74.

Lobelia foliis imis summisque integerrimis, cæteris pinnatifidis; floribus longitudine pedicellorum in racemis secundis.

Radix perpendicularis, simplex ut caulis erectus, pedalis, teretiusculus. Folia setis brevibus, crassiusculis adspersa; folia radicalia ovato-oblonga; caulina inferiora pinnatifida; superiora linearia. Bracteæ pedicellis multò breviores, lanceolatæ, solitariæ aut binæ, interdùm nullæ. Calycis laciniæ vix dimidio breviores staminibus. Corollæ labii inferioris laciniæ obovatæ. Capsula oblonga. Semina ovato-triquetra, rufa. Aliàs ut suprà.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos demptis calycis laciniis. 2. *Idem*, semotâ partìm corollâ, ejusdem reliquiis expansis, filamentis staminum conspicuis. 3. Pistillùm cum calyce. 4. Capsulæ sectio transversalis. 5. Semina. 6. Semen auctum.

GOODENIA.

Corolla suprà longitudinaliter fissa genitalia exserens, limbo bilabiato, suprà bipartito, infrà trifido, majore; stigma urceolatum, ciliatum. Capsula bilocularis, bivalvis, polysperma, seminibus affixis dissepimento parallelo (1).

GOODENIA ELONGATA. Tab. 75.

Goodenia hispida, foliis integerrimis; floribus longissimè pedunculatis, flavis.

Planta herbacea, pilis brevibus subappressis hispida. Folia radicalia obovata, caulina lanceolata; florum pedunculi distantes, ebracteati, basi pilosi, tri ad quinquepollicares. Calycis laciniæ lanceolatæ. Corolla monopetala, marcescens,

(1) Genericus character auctus.

suprà longitudinaliter ferè usque ad basim fissa, bilabiata, labio superiore bipartito, inferiore verò trifido, laciniis omnibus costatis costâ extùs pilosâ. Staminum filamenta summo calyci sub corollâ inserta; antheræ subovatæ, biloculares, adnatæ. Germen inferum, ovatum; stylus suprà pilosus; stigma cyathiforme, pilosiusculum, ore ciliatum, medio septiferum, septo lateribus libero, suprà papilloso. Capsula ferè semi-infera, subovata, bilocularis, bivalvis, dissepimento valvis parallelo. Semina plura, ovata, hìnc plana, indè convexa, imbricata, dissepimento affixa.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Corolla seorsùm. 3. Pistillum cum staminibus et calyce. 4. *Idem*, auctum, calycis laciniis resectis. 5. Stigma auctum, longitudinaliter sectum et reflexum, ut dissepimentum inspiciatur. 6. Capsula paululùm aucta cum calyce. 7. *Eadem*, apice dehiscens, resectis calycis laciniis et ejusdem parte quæ capsulæ non adhæret. 8. *Ejusdem* sectio transversalis. 9. Semina. 10. Seminis sectio transversalis.

Obs. I^a. Stigmatis urceolati denominationem acceptam quamvis non mutaverim, nihilominùs septum hìc in medio urceoli inclusum et liberum, est reverà stigma.

Obs. II^a. Hàc in specie ut in cæteris ejusdem generis semina dissepimento sunt affixa, quamvis in Goodeniâ ovatâ parietalia dixerit figuraveritque *D. Cavanilles, Ic.* 6, *p.* 4, *tab.* 506; quam observationem erroneam detexi in ejusdem plantæ speciminibus allatis è capite Van-Diemen. Notandum insuper in eâdem Goodeniâ ovatâ quasdam partes dissepimenti interdùm evanescere compressione seminum, quod valdè suspiciendum in Goodeniâ heterophyllâ, cujus figuram videre est cum analysi capsulæ in *Cav. Ic.* 6, *p.* 6, *tab.* 508, ubì nulla mentio fit de dissepimento prædicto, cujus saltem si perpendas attentè, reliquias invenire verisimile est.

GOODENIA REPENS. Tab. 76.

Goodenia foliis carnosis, integerrimis, corollisque glabris; floribus bibracteatis.

Planta crescens in udis, herbacea, repens, foliis glaberrimis, infrà attenuatis, ellipticis aut lanceolatis. Flores axillares, solitarii, pedunculis vix eorumdem longitudine, basi muniti bracteis geminis, subæqualibus, oblongis. Calycis laciniæ ovatæ. Corolla cærulea, tota glabra, suprà fissa longitudinaliter ferè usque ad basim, limbo quinquefido, laciniis subæqualibus, ovatis, acutis, in adulto flore subsecundis, in flore verò non perfectè evoluto labium superius bifidum, inferiusque trifidum efformantibus. Antheræ ovatæ, acuminatæ, biloculares. Germen inferum, ovatum, infrà attenuatum. Stylus suprà pilis raris adspersus; stigma urceolatum, vix pilosum, ciliis ore rarissimis, medio septiferum, septo lateribus libero,

ejusdem urceoli ferè longitudine (quod septum ut in præcedenti specie est reverà stigma suprà tenuissimè papillosum). Capsula immatura bilocularis, bivalvis, seminibus affixis dissepimento valvis parallelo.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos nondùm evolutus, bracteis infrà conspicuis. 2. *Idem*, adultus. 3. Corolla seorsùm, basi fissa longitudinaliter, expansa. 4. Pistillum paululùm auctum, staminibus bracteisque conspicuis, calycis laciniis resectis. 5. Stamen. 6. *Idem*, auctum, posticè visum. 7. *Idem*, visum anticè. 8. Stylus stigmaque aucta.

VELLEIA.

Calyx triphyllus (addo aut quinquefidus). Corolla tubulosa, suprà hians, limbo quinquefido. Capsula quadrivalvis, unilocularis (addo aut semi-bilocularis), polysperma. Semina imbricata (1).

VELLEIA TRINERVIS. Tab. 77.

Velleia foliis dentatis, trinerviis; calycis monophylli laciniis quinque subæqualibus.

Planta herbacea, caulibus dichotomis, substriatis, infernè flexuosis; foliis radicalibus oblongis, in petiolum longiorem paulò decurrentibus, axillis pilosis; folia verò caulina sessilia, bracteiformia, è dichotomiis, opposita, radicalibus multò breviora. Calyx campanulatus, pilis intùs adpressis, limbo quinquefidus, laciniis subacutis, vix æqualibus. Corolla monopetala, sulphurea, tubo intùs pilosa, bilabiata, labio superiore bipartito, inferiore trifido, laciniis omnibus acutis, hispidis, costâ incrassatis. Staminum filamenta sub corollâ inserta; antheræ oblongæ, adnatæ, biloculares. Germen inferum, ovatum; stylus complanatus; stigma urceolatum, ore ciliatum, medio septiferum, septo plano

---

(1). *Smith, Linn. Trans.* 4, *pag.* 217, proxima Goodeniæ, à quâ differt præsertìm germine supero.

lateribus libero (quod septum est reverà stigma ut de Goodeniâ jam dictum fuit). Capsula infera, semi-bilocularis, quadrivalvis, valvis ferè ad basim usquè dehiscentibus. Semina plura, suborbiculata, utrinquè plana, rugosula, margine cartilaginea, imbricata, affixa utrinquè dissepimento paribus valvarum parallelo. Corculum in perispermo carnoso; radiculâ inferâ, teretiusculâ, longiori cotyledonibus ovatis, foliaceis.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos supernè visus. 2. *Idem*, infernè. 3. Corolla seorsùm, expansa. 4. Pistillum cum staminibus et calyce. 5. *Idem*, auctum, calyce partìm resecto. 6. Capsula. 7. *Eadem*, transversìm secta. 8. Semina.

S C Æ V O L A.

Corolla irregularis, tubulosa, suprà longitudinaliter fissa, limbo quinquefido laterali. Drupa infera uni ad quadrilocularis. Semina solitaria.

SCÆVOLA GLOBULIFERA. Tab. 78.

Scævola foliis lanceolatis, dentatis; globulis corollarum pedicellatis; nuce quadriloculari.

Caulis sesquipedalis, erectus, teres, sublignosus. Folia avenia, crassiuscula, semiamplexicaulia, superiora integerrima. Flores axillares, solitarii, sessiles (raró bini), bracteis geminis, subulatis. Calycis quinquefidi laciniæ brevissimæ, obtusæ. Corolla tubo internè piloso, oreque capitellis duodecim ad octodecim papillosis, niveis, pedicellatis; nondùm evoluta bilabiata, labio superiori bipartito, inferiori tripartito minori, suprà longitudinaliter ferè ad basim fissa; adulta verò laciniis omnibus subsecundis, incrassatis costis totidem lanceolatis. Staminum filamenta complanata; antheræ adnatæ, oblongæ, biloculares. Germen inferum, ovatum; stylus pilosus, teres, per corollæ fissuram erumpens; stigma urceolatum ore ciliato, intùs septiferum, septo lateribus libero (quod septum ut in plantis tribus suprà descriptis duabusque sequentibus est reverà stigma urceolo inclusum).

Drupa ovata, calycinis laciniis coronata; nux tuberculata quadrilocularis. Semina solitaria, ovata (sæpiùs quædam abortiva).

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos paululùm auctus. 2. *Idem*, auctior, demptâ corollâ. 3. Stigmatis aucti urceolus longitudinaliter fissus reflexusque, septo suprà dicto conspicuo. 4. Drupa. 5. *Eadem*, carne demptâ supernè. 6. *Ejusdem*, demptâ carne, sectio transversalis.

SCÆVOLA CRASSIFOLIA. Tab. 79.

SCÆVOLA spicis terminalibus axillaribusque longioribus foliis carnosis, obovatis, dentatis.

PLANTA semi-orgyalis, fruticulosa, ramis teretibus. Folia infrà integra, longè attenuata, crassa semi-lineam spissa, inferiora opposita. Flores in spicis, singuli foliolo integerrimo suffulti, bibracteati bracteis lateralibus, multò brevioribus eodem foliolo. Corollæ tubus fissus usque ad basim, intùs villosus, ore nudo. Stylus complanatus, subvillosus; stigma pilis raris ore ciliatum, medio septiferum, ut in præcedentibus. Drupa subovata, striata, suberosa, nuce biloculari, striatâ; seminibus solitariis hìnc convexis, indè planiusculis. Cæterùm ut suprà.

HABITAT in maritimis arenosis terræ Van-Leuwin.

1. Flos auctus, staminibus plicis tubi obtectis. 2. *Idem*, auctior, sejunctâ corollâ 3. Corolla seorsùm, aucta, tubo partìm resecto. 4. Stigmatis aucti urceolus longitudinaliter fissus reflexusque ut videatur septum quod est reverà stigma. 5. Drupa laciniis calycinis demptis. 6. *Eadem*, aucta, calycis laciniis coronata. 7. *Eadem*, nucis integumento partìm deraso. 8. *Ejusdem* sectio transversalis.

SCÆVOLA CUNEIFORMIS. Tab. 80.

SCÆVOLA spicarum foliolis integerrimis, axillis multifloris, foliis suprà dentatis; inferioribus cuneatis.

PLANTA subpilosa, ramis alternis, compressis. Folia floralia integerrima, lanceolata, bracteiformia, breviora cæteris suprà dentatis, infimis cuneiformibus, similiter aveniis. Flores bini (rariùs trini), è foliolorum axillis, singuli bibracteati,

eo

eo tamen modo ut cum altero flore bracteæ tres exsolvantur ejusdem basi affixæ (ut figurâ primâ ostenditur), binæ scilicet bracteæ inter se oppositæ, altera verò fuerat opposita bracteæ floris non soluti. Calycis laciniæ ciliatæ. Stylus complanatus, glaberrimus; stigma hinc glabrum, indè barbatum, margine ciliatum, (medio septiferum, ut dictum de cæteris). Drupa sicca, ovata, rugosa, calyce coronata; nuce uniloculari; semine ovato, albido. Cæterùm ut in præcedentibus.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos solutus cum tribus bracteis. 2. *Idem*, seorsùm. 3. *Idem*, auctum, demptâ corollâ. 4. Stigmatis aucti urceolus longitudinaliter fissus, demùm reflexus, septo medio conspicuo. 5. Drupa. 6. *Eadem*, aucta. 7. *Ejusdem* sectio transversalis.

OBS. A Scævolâ mycrocarpâ, *Cavan. Ic. 6, pag. 6, tab. 509*, quæ eadem est ac Goodenia lævigata, *Will.*, in multis differt, sed præsertim foliolis spicarum integerrimis, axillis multifloris, formâque foliorum.

CYATHODES.

CALYX pentaphyllus, basi squamulis imbricatis. Corolla tubulosa. Germen superum, urceolo infrà cinctum. Bacca polysperma aut drupa loculis octo, seminibus solitariis. *Etymolog.* à κυαθωδυς, propter urceoli formam germen cingentis (1).

CYATHODES GLAUCA. Tab. 81.

CYATHODES foliis lanceolatis, subverticillatis; fructibus drupaceis, sessilibus, axillaribus.

ARBOR quinqueorgyalis; folia acuminata, longitudinaliter utrinque striata, subtùs glauca, alterna, per fasciculos tamen subverticillatos disposita. Flores sæpiùs in ramulorum summo subsessiles, ex foliorum axillis singuli. Calycis

(1) Hoc genus à Bæobotryde differt calyce pentaphyllo, squamulis imbricatis, urceoloque germen cingente; et à Styphelià drupâ octoloculari.... Hic monendum species duas subsequentes, ne genera plusquàm expedit multiplicentur, sub eodem complexas fuisse, quamvis fructû inter se multùm differant.

persistentis foliola scariosa, subciliata, ovata, striata ut squamulæ septem ad tredecim ejusdem basi imbricatæ. Corolla fauce tubi paululùm barbata, limbo quinquefida, laciniis acutis, reflexis. Staminum filamenta summo tubi inserta; antheræ oblongæ, uniloculares, bivalves, medio septiferæ, exsertæ. Germen globulosum, urceolo integerrimo, infrà adnato; stylus inclusus, basi crassior; stigma obtusum. Drupa baccata, globosa, stylo persistente, pulpâ crassâ, eduli, cooperta; nuce octoloculari; seminibus solitariis ex axi fructûs pendulis. Corculum cilindraceum, in perispermo carnoso; radiculâ superâ.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos cum squamulis calycis baseos. 2. *Idem*, auctus. 3. Corolla aucta, longitudinaliter fissa, expansa. 4. Stamen sejunctum, filamento infrà aucto tubi reliquiis. 5. *Idem*, auctum. 6. Pistillum cum urceolo. 7. *Idem*, auctum. 8. *Ejusdem* sectio transversalis. 9. Drupa. 10. Nux. 11. Nucis sectio transversalis. 12. *Ejusdem* sectio longitudinalis. 13. Seminis plurimùm aucti sectio longitudinalis cum situ et figurâ corculi.

OBS. Non minùs æquè ac Styphelia, genus illud Ericarum ordini associandum esse, omnibus palàm est.

CYATHODES DISTICHA. Tab. 82.

CYATHODES foliis trinerviis, distichis, patentibus; fructibus baccatis, racemosis.

FRUTEX orgyalis. Folia ovato-oblonga, acuminata, tri ad quinquenervia, alterna, disticha, subpetiolata. Flores in racemis ut plurimùm terminalibus, brevibus, singuli suffulti bracteâ scariosâ, ovatâ, subacutâ, striatâ, squamulis binis, oppositis, similiter striatis, persistentibus baseos calycis cujus foliola iisdem conformia. Corolla subcampanulata, fauce tubi barbata. Staminum filamenta in tubo prominentia, eidem adnata. Germen obversè turbinatum, urceolo quinquedentato infrà cinctum; stylus brevis; stigma obtusum, papillosum. Bacca suborbiculata, fœta decem ossiculis reniformibus, compressis, uniloculatibus, evalvibus, monospermis, semine conformi. Aliàs ut in præcedenti specie.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos cum squamulis baseos calycis. 2. *Idem*, auctus. 3. Corolla aucta, longitudinaliter fissa, expansa, staminum filamentis exstantibus, tubo longitudinaliter adnatis. 4. Stamen auctum, anticè visum, cum reliquiis filamenti et corollæ. 5. *Idem*, visum posticè. 6. Pistillum auctum cum calyce et squamulis baseos geminis. 7. Pistillum sejunctum cum urceolo. 8. *Idem*, auctum. 9. Urceolus seorsùm, auctus. 10. Bacca posticè visa, cum calyce et squamulis binis. 11. *Eadem*, anticè visa. 12. *Ejusdem* sectio transversalis, ossiculorum numerum ostendens. 13. Ossiculum. 14. *Idem*, auctum. 15. *Ejusdem* sectio transversalis, intacto semine.

POGONIA.

Calyx pentaphyllus, persistens. Corollæ tubus ore villis clauso. Drupa baccata, nuce quadriloculari, seminibus solitariis (1).

POGONIA TETRANDRA. Tab. 83.

Pogonia foliis lanceolatis, serratis; axillis multifloris.

Frutex altitudine humanâ vix provectior, ramis erectis, teretibus. Folia alterna, avenia, serrata, versùs basim integerrima. Flores plurimi, foliorum axillis enati, pedunculis striatis, suprà crassioribus. Calyx quinquepartitus, laciniis acutis. Corollæ tubus calyce paulò longior, suprà dilatatus, ore villosus; limbus quinquefidus, laciniis rotundatis. Staminum filamenta quatuor æqualia, subulata, corollæ tubo suprà basim affixa; antheræ versatiles, exsertæ, reniformes, uniloculares. Germen ovatum; stylus pilosiusculus, suprà attenuatus; stigma subacutum. Drupa baccata, globosa, nuce quadriloculari, seminibus solitariis, ovato-oblongis, albidis, loculorum summo affixis. Corculum cilindraceum in perispermo tenui, carnoso; radiculâ superâ.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. Corolla longitudinaliter fissa, expansa. 3. Pistillum cum calyce. 4. Drupa calyce stipata. 5. *Ejusdem* sectio transversalis. 6. Seminis aucti sectio longitudinalis, cum situ et figurâ corculi.

Obs. Hoc genus Guaiacanis adnumerandum esse arbitratus sum, præsentemque speciem ab eodem genere non sejungendam staminis unius defectu, dùm in cæteris omnibus cum illo quadrat.

---

(1) *Andrews, Bot. Rep., pag.* 212.

CEANOTHUS.

Calyx turbinatus, quinquefidus. Petala quinque, fornicata, unguiculata, staminibus opposita. Capsula tricocca, trisperma.

CEANOTHUS SPATULATA. Tab. 84.

Ceanothus foliis spatulatis, subtùs tomentosis, dimidiò brevioribus racemis axillaribus aut terminalibus.

Frutex orgyalis, foliis subspatulatis, vix petiolatis, alternis, paginâ superiori glaberrimis, castaneis aut ferrugineis, inferiori verò tomentosis, nervis præsertìm sericeis; stipulis lanceolatis, caducis, pubescentibus. Florum racemi elongati, simplices aut compositi. Calyx turbinatus, pilosus, laciniis acutis, intùs carinatis, maturo fructu deciduis. Petala subunguiculata, concava, reflexa, limbo calycino inserta, ejusdem laciniis alterna iisque paulò minora. Staminum filamenta ibìdem inserta, petalis opposita; antheræ globulosæ, biloculares. Germen globosum, disco tomentoso, calyci adnato, corticatum; stylus tripartitus (raròquadripartitus), stigmatibus capitatis. Capsula ovata, disco tomentoso corticata, sub medio ubì affixæ fuerant laciniæ calycis annulata, tricocca (raròquadricocca), cocculis primùm succulentis, demùm solidiusculis, infrà perviis, à se invicem mox à basi usque ad annulum, tuncque maturo fructu ad summum usque secedentibus. Semina solitaria, ovata, subcompressa, rufa, basi atrata, disci fundo affixa brevibus funiculis umbilicalibus. Corculum planum, radiculâ inferâ, in perispermo carnoso, obvoluto integumento crustaceo, hyalino.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. *Idem*, auctus. 3. Pistillum seorsùm, auctum. 4. Capsula basi dehiscens. 5. Cocculus semen includens, auctus, posticè visus. 6. *Idem*, visus anticè. 7. Semen auctum.

Obs. Hanc et sequentem, cum petalis oppositis staminibus, existimavi magis convenire Ceanotho quàm cæteris Rhamnoideis, de quibus multa etiam desideranda sunt in enunciato generis cujusvis essentiali charactere.

CEANOTHUS GLOBULOSA. Tab. 85.

Ceanothus foliis obovatis, subtùs tomentosis; capitellis florum paniculatis.

Frutex orgyalis et ultrà. Folia petiolata, obovata, alia ovato-oblonga, stipulis lanceolatis, scariosis, vix pilosis, caducis. Florum capitelli globulosi, in pedunculis diversè divisis, suffulti squamis sex ad octo, ovatis, imbricatis, bracteiformibus. Calycis turbinati laciniæ intùs carinatæ, persistentes. Stylus ferè longitudine germinis; stigmata tria (interdùm duo), capitata. Capsula turbinata, suprà medium ubì sunt affixæ laciniæ calycis annulata, tricocca (interdùm dicocca), cocculis in toto non secùs ac in præcedenti specie, sed ab apice ad basim à se invicem secedentibus. Semina albida, infernè atrata. Corculum cæteraque omnia ut in Ceanotho spatulatâ.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. *Idem*, auctus. 3. *Idem*, expansus. 4. Capsula nondùm dehiscens. 5. *Eadem*, dehiscens, aucta. 6. Cocculus semen includens, auctus, anticè visus. 7. *Idem*, visus posticè. 8. Semen auctum.

POMADERRIS.

Calyx turbinatus, quinquefidus. Petala quinque, fornicata, staminibus opposita. Capsulæ cocculis tribus membranâ operculatis. *Etymolog.* à πῶμα, operculum, et δέρρις, membrana, propter operculum membranaceum.

POMADERRIS ELLIPTICA. Tab. 86.

Pomaderris foliis ovalibus, subtùs tomentosis; florum capitulis subumbellatis, paniculatis.

Frutex sesquiorgyalis; folia elliptica aut oblonga, integerrima, alia denticulata, alterna, petiolorum nervorumque in paginâ inferiori pilis fasciculatis; stipulæ lanceolatæ, caducæ. Flores paniculati, capitulis subumbellatis, bracteis

citò deciduis. Calyx turbinatus, pilosus, laciniis ovatis, acutis, intùs carinatis, deciduis cùm fructus maturescit. Petala squamiformia, concava, unguiculata, margine denticulata, limbo calycino inserta, ejusdem laciniis alterna iisque minora. Staminum filamenta ibìdem inserta, petalis opposita; antheræ versatiles, ovatæ, biloculares. Germen ovatum, corticatum disco pilis stellatis hispido, calyci adnato; stylus trigonus; stigmata tria capitata. Capsula ovata, disco collapsis jàm pilis stellatis glabro corticata, sub medio ubì affixæ fuerant laciniæ calycis annulata, tricocca, cocculis chartaceis, ovalibus, acutis, infrà truncatis, dorso convexis, anticè planiusculis cum aperturâ ovali, obturatâ membranâ foliaceâ, conformi, de se solubili, operculi vices gerente, è summo ad basim à se invicem secedentibus. Semina solitaria, ovata, planiuscula, atra aut ferruginea, callo ad umbilicum fungoso, niveo, disci fundo brevibus funiculis affixa. Corculum rectum, complanatum, in perispermo carnoso et oleaginoso, obvoluto integumento subcorneo.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Florum capitulum. 2. Flos seorsùm auctus. 3. *Idem*, staminibus petalisque demptis. 4. Petalum separatìm, auctum. 5. Fructus immaturus, calycis laciniis jàm delapsis. 6. Capsula dehiscens, aucta. 7. *Eadem*, cocculis disco corticoso ferè ad basim denudatis. 8. Cocculus auctus, anticè visus, cum membranâ operculante. 9. *Idem*, membranâ prædictâ solutâ. 10. Semen. 11. *Idem*, auctum.

OBS. Rhamnorum ordini associandum hoc genus abundè differt à cæteris jam conditis, singulari præsertìm cocculorum membranâ operculante; insuper multis ducor ad conjiciendum huic novo generi attinere *Ceanothum discolorem D. Vent. jardin de Malm.*, *tab.* 58.

POMADERRIS APETALA. Tab. 87.

POMADERRIS foliis ovato-oblongis, duplicato-serratis, subtùs tomentosis; floribus apetalis, racemosis.

FRUTEX altitudine humanâ paululùm provectior, ramulis striatis, tomentosis. Folia suprà rugosa, ferè glabra pilorum fasciculis radiatis distantibus, aut iisdem caducis glaberrima, infrà tomentosa, pilis nervorum præsertìm fasciculatis, stipulis caducis, filiformibus. Flores in racemis simplicibus aut compositis, terminalibus axillaribusque, bracteis oblongis. Calycis laciniæ persistentes, intùs carinatæ. Petala nulla. Staminum filamenta limbo calycino inserta, ejusdem

laciniis alterna. Stylus trifidus; stigmata tria, capitata. Capsula ovata, calycis laciniis persistentibus, reflexis, iisdem avulsis annulata. Aliàs ut in præcedenti.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, auctus, visus anticè. 3. *Idem*, posticè visus. 4. Pistillum cum calyce. 5. *Idem*, auctum. 6. Capsula dehiscens, calycis laciniâ anteriori avulsâ, annulo partim conspicuo. 7. Cocculus auctus, visus posticè. 8. *Idem*, anticè visus cum membranâ operculante. 9. *Idem*, membranâ operculante solutâ. 10. Semen. 11. *Idem*, auctum.

LASIOPETALUM.

Calyx rotatus, quinquefidus, persistens, bracteis tribus ad quinque dimidiatis. Petala quinque squamiformia, staminibus fertilibus opposita (filamentis alternis, si adsint, sterilibus). Capsula supera, trilocularis, trivalvis, dissepimentis è medio valvularum seminigeris (1).

LASIOPETALUM TRIPHYLLUM. Tab. 88.

Lasiopetalum foliis ternis, intermedio majore; staminum filamentis decem, alternis sterilibus; floribus apetalis.

Frutex tri ad quadripedalis. Folia terna, petiolata, fasciculis pilorum stellatis distantibusque asperata, bina cordata, minora, intermedio oblongo, sinuato, suprà obtuso, infrà emarginato. Racemi simplices, inter folia minora enati, iisdem duplò longiores, pauciflori, bracteis pedicellorum baseos simplicibus, oblongis, caducis, cæteris tribus calycis basi adnatis, persistentibus, dimidiatis, conformibus, pilis ex aversâ paginâ similiter stellatis ut in inferâ parte calycis, ramis junioribus, et capsulâ. Calyx monophyllus, subcampanulatus, quinquefidus, laciniis ovalibus internè costatis, subcarinatis. Petala nulla. Staminum filamenta decem, lanceolata, imò calyci inserta, horum quinque sterilia, breviora, ejusdem laciniis opposita, cætera fertilia, alterna; antheræ ovatæ, glaucæ, biloculares,

---

(1) *Smith, Linn. Trans.* 4, *pag.* 216, mutato partium nomine et cum addimentis quibusdam.

lateribus longitudinaliter dehiscentes. Germen superum, ovatum; stylus infrà crassior; stigma obtusum. Capsula globosa, trisulca, trilocularis, trivalvis, valvis medio septiferis, axi centrali infrà affixis. Semina quatuor ad sex in quovis loculo, ovata, castanea, callo ad umbilicum membranaceo, valvularum septo, funiculis brevibus affixa. Corculum planum, in perispermo carnoso; radiculâ inferâ.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos cum bracteis tribus. 2. *Idem*, expansus, visus anticè. 3. Capsula, stylo nondùm delapso. 4. *Ejusdem* sectio transversalis. 5. Capsulæ valvula seorsùm, cum seminibus dissepimento affixis. 6. Semen. 7. *Ejusdem* aucti sectio longitudinalis, cum situ et figurâ corculi. 8. Corculum solutum, auctum.

Obs. Hujus generis analogiam cum Rhamnoideis confirmant corculi situs et figura.

BILLARDIERA.

Petala quinque, foliolis calycinis alterna. Nectarium nullum. Stigma simplex. Bacca supera, polysperma (1).

BILLARDIERA LONGIFLORA. Tab. 89.

Billardiera pedunculis solitariis, unifloris; foliis lævibus; petalis longissimis, margine introflexis.

Frutex caule volubili, tereti. Folia lanceolata, avenia, glabra, alterna, quædam opposita in summo ramulorum è quibus pendent flores solitarii paulò longiores pedunculis teretibus. Calycis foliola ovata, acuta, subciliata, intùs pilosiuscula. Petala oblonga, acuminata, marginibus introflexis, lineata, suprà dilatata, venosa. Staminum filamenta subulata, compressa, vix petalorum longitudine; antheræ ovatæ, infrà emarginatæ, biloculares, peltatæ. Germen superum, ovatum; stylus filiformis, staminum longitudine; stigma subcapitatum.

---

(1) *Smith*, *New-Holl*, 1, *p*. 1.... *Will. Spec. Plant.* 1, *p*. 1150.

Bacca

Bacca ovata, sub pedunculo emarginata, inscripta striâ depressâ in utroque latere obsoletâ, pulposa, violacea, bilocularis, dissepimento pulposo. Semina plurima, reniformia, castanea, affixa receptaculo carnoso, utrinquè adnato dissepimento. Corculum minutum, ovatum, in perispermo carnoso, duro, versùs ejusdem umbilicum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos, naturali situ, dependens. 2. Petalum separatìm, situ erecto. 3. Pistillum cum staminibus et calyce. 4. *Idem*, semotis staminibus. 5. Stamen auctum, anticè visum. 6. *Idem*, visum posticè. 7. Bacca. 8. *Eadem*, transversìm secta. 9. Semen auctum. 10. *Ejusdem* sectio longitudinalis, cum situ et figurâ corculi.

Obs. Solaneis associandum illud genus, suadent plurimæ notæ, corculum quamvis, reverâ minutissimum, non incurvum videatur, et petala, basi equidèm latiuscula, inter se approximata, tamen distincta sint. Vim acquirit novam analogia proposita, in specie subsequenti cujus antheræ sunt conniventes, ut in Solano et Capsico.

BILLARDIERA FUSIFORMIS. Tab. 90.

Billardiera paniculis paucifloris; foliis subhirsutis; antheris conniventibus.

Frutex sæpiùs scandens. Folia lanceolata, venosa. Flores ut plurimùm terminales, rari (duo ad sex), è pedunculis variè divisis penduli, bracteis ad basim pedicellorum minimis, caducis. Calycis foliola subciliata. Corolla patens, cærulea, petalis ovatis, acuminatis. Staminum filamenta breviora antheris bilocularibus, dehiscentibus longitudinaliter, inter se conniventibus. Germen fusiforme, striatum, sericeum, suprà magis attenuatum, biloculare; stylus brevis; stigma subcapitatum. Bacca sicca, chartacea, fusiformis, sericea, bilocularis, seminibus ovatis, compressis, singulis in materiâ etiam chartaceâ per series geminas affixis utrinquè receptaculo conformi. Aliàs ut suprà.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos, anticè visus. 2. *Idem*, visus posticè. 3. Pistillum auctum, cum staminibus et calyce. 4. *Idem*, staminibus demptis. 5. Stamen auctum. 6. Pistilli sectio transversalis. 7. Bacca. 8. *Eadem*, transversìm secta.

VIOLA.

Calyx pentaphyllus. Corolla pentapetala, irregularis, posticè cornuta (addo aut gibba). Antheræ cohærentes. Capsula supera, trivalvis, unilocularis, valvis medio seminiferis.

VIOLA HEDERACEA. Tab. 91.

Viola subacaulis, foliis cordatis, sublobatis, stolonibus reptantibus.

Radix perpendicularis, simplex, radiculis fibrosis, hìnc et indè stolones emittens. Caulis erectus, brevis (ut plurimùm nullus). Folia cordata, quinque ad septemcrenata, sublobata, venosa, subtùs vix pubescentia, breviora petiolis suprà latioribus, stipulis scariosis, ovato-lanceolatis, denticulatis. Scapi filiformes, subteretes, foliis duplò longiores, sub medio binis foliolis alternis, lanceolatis, instructi. Calyx quinquepartitus, laciniis ovato-lanceolatis, processû circulari basi productus. Petala duo suprema recta, obovato-oblonga, bina lateralia subarcuata, basi sursùm intùs notata maculâ villosâ, oblongâ, inferum impar majus, emarginatum, subtùs ad basim paulò gibbum. Staminum filamenta brevia, distincta; antheræ oblongæ, biloculares, adnatæ, vix coalitæ, apice membranâ ellipticâ terminatæ. Germen ovatum; stylus infrà crassior; stigma subacutum. Capsula angulis obsoletis trigona, unilocularis, trivalvis. Semina quatuor ad sex, ovata, atra, valvulæ cujusvis medio affixa.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Calyx posticè visus cum pedicello. 2. Petala naturali dispositione. 3. Pistillum et stamina. 4. Stamen anticè visum. 5. Pistillum separatìm. 6. Capsula. 7. *Ejusdem* sectio transversalis. 8. Capsula dehiscens. (Omnia aucta si figuram sextam excipias.)

Obs. Nullus, ut arbitror, sufficienti inniteretur fundamento sejungendo à prædicto genere, tam naturali præsertìm, hanc plantam calyce basi minùs producto quàm in aliis ejusdem plurimis, corollâ minùs gibbâ, ut et antheris non tam arctè coalitis.

ACTINOTUS.

Flores plurimi, pedicellati, densè aggregati suprà receptaculum planum, villosum, involucro polyphyllo cinctum, compressione polygami, hermaphroditis scilicet et masculis. Singulis calyx superus, quinquepartitus, persistens. Corolla nulla. Hermaphroditorum stylus bipartitus, stigmatum setâ laterali. Semen unicum. *Etymolog.* ab ακτινὸτος, radiatus, propter radios involucri.

ACTINOTUS HELIANTHI. Tab. 92.

Actinotus tomentosa, foliis decursivè pinnatis; involucro decem ad octodecim radiato, molli, longissimo.

Planta herbacea, undiquè tomentosa, caule tereti simplici aut diviso, foliolis decompositis. Florum capituli terminales, pedunculati, involucrati radiis lanceolatis, tomentoso-sericeis. Hermaphroditorum calycis subpedicellati laciniæ oblongæ, pilosæ. Corolla nulla. Staminum filamenta calycis laciniis opposita, iisdem duplò longiora, filiformia, albida; antheræ biloculares, subglobosæ. Germen inferum, obovatum, compressum, pilosum, sericeum, ut pedicellum vix longius eodem; stylus bipartitus, æquè pilosus; stigmata clavata, papillosa, atra, singula aucta filamento laterali, interno, luteolo. Semen unicum, ellipticum, compressum, pilosum. Masculis floribus omnia hermaphroditorum, si cujusvis pedicellum longius excipias, pistillumque abortivum.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos hermaphroditus. 2. *Idem*, pilis denudatus. 3. *Idem*, calyce staminibusque demptis. 4. Semen, dempto calyce. 5. *Idem*, secto transversìm integumento. 6. Flos sterilis. (Omnia aucta.)

Obs. Germina solitaria semper inveni in hâc singulari umbellatâ, non verò bina ut in Lagoeciâ observavit celeberrimus *Gærtner*.

THESIUM.

Calyx quinquefidus. Corolla nulla. Stamina laciniis calycinis opposita. Nux infera, monosperma.

THESIUM DRUPACEUM. Tab. 93.

Thesium aphyllum; staminum filamentis decem, alternis sterilibus.

Frutex orgyalis et ultrà, ramis teretibus, erectis, ramulis striatis, angulatis, aphyllus (nisi dicas foliola squamulas quasdam ovatas, alternas, subappressas ramulorum summo adhuc tenerum, mox verò deciduas). Flores in spiculis lateralibus terminalibusque, singuli suffulti bracteâ ovatâ, caducâ, squamiformi. Calycis laciniæ ovatæ, apicibus incrassatis. Staminum filamenta decem, brevia, calyci sub laciniis affixa, iisdem quinque alterna sterilia, cætera opposita fertilia; antheræ globosæ, biloculares. Germen inferum, ovatum; stylus vix ullus; stigma peltatum, quinqueradiatum, medio depressum. Drupa succulenta, ovata, coronata calyce. Nux unilocularis, ovata, monosperma, semine conformi. Corculum minimum, subovatum, in perispermo carnoso, luteolo, juxtà basim positum; radiculâ superâ; cotyledonibus brevissimis.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos auctus. 2. *Idem*, staminibus calycisque laciniis demptis. 3. Drupa calyce persistente coronata. 4. *Eadem*, carne partìm demptâ transversìm, paululùm aucta. 5. Nux. 6. *Ejusdem* sectio transversalis. 7. Semen longitudinaliter sectum, cum situ et figurâ corculi.

CANTHIUM.

Calyx superus, quinquepartitus. Corolla tubo brevi, limbo quinquefida, patens. Stigma simplex (addo aut divisum). Bacca ovata, bilocularis, bisperma, seminibus hìnc convexis, indè planis, sulcatis (1).

CANTHIUM QUADRIFIDUM. Tab. 94.

Canthium foliis lanceolatis; bracteis calyciformibus, quadrifidis.

Frutex spinosus, vix provectior humanâ altitudine. Folia venosa, lanceolata (quædam obovata), subpetiolata, opposita, basi juncta mediante stipulis simplicibus, lanceolatis. Flores solitarii, axillares, pedunculis erumpentibus è vaginâ iisdem dimidiò breviori, singuli infrà stipati bracteâ calyciformi, subcampanulatâ, quadrifidâ, laciniis acutis, binis alternis longioribus, infernè attenuatis. Laciniæ calycis persistentis acutæ, minimæ; corollæ verò laciniæ ellipticæ. Staminum filamenta corollæ tubo inserta; antheræ ovatæ, inclusæ. Germen ovale, inferum; stylus longitudine staminum, teres, quadri ad sexfidus, stigmatibus obtusis. Bacca ovata, coronata calyce, carnoso-pulposa, bilocularis. Semina solitaria, affixa fundo loculi cujusvis (seu cocculi) chartacei, evalvis, hìnc convexi, indè plani.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Corolla anticè visa. 2. *Eadem*, visa posticè. 3. *Eadem*, longitudinaliter fissa, expansa. 4. Stamen solutum, auctum. 5. Pistillum calyce coronatum, infrà stipatum bracteâ calyciformi, stylo quinquefido. 6. *Idem*, auctum. 7. Bacca calyce coronata, stipata infernè bracteâ prædictâ. 8. *Ejusdem* paululùm aucti sectio transversalis, cocculis intactis. 9. Cocculi sectio transversalis, intacto semine.

Obs. Hanc referre ad Canthium non hæsi, quamvis stylus sit fissus in partes quatuor ad sex à se invicem, cùm fructus maturescit, ferè ad basim usque separabiles, nam germen semper biloculare ut bacca, insuper habitus cæteraque omnia Canthii.

---

(1) *Lamarck, Dict.* 1, *p.* 602.

DIGYNIA.

COPROSMA.

Hermaphrodito flori calyx quinque ad septemfidus, superus. Corolla infundibuliformis, similiter quinque ad septemfida. Stamina quinque ad septem. Styli duo longi. Bacca infera, disperma. Flori masculo fœmineoque ut in hermaphrodito.

COPROSMA HIRTELLA. Tab. 95.

Coprosma florum capitulis omnibus hermaphroditis; staminibus inclusis.

Frutex octopedalis, ramosissimus. Folia opposita, petiolata, ovato-lanceolata, utrinquè attenuata, alia subspatulata, omnia basi utrinquè juncta mediante stipulâ semiorbiculatâ, acuminatâ. Florum capituli pauciflori, axillares terminalesque, bracteis geminis suffulti, pedunculis ut plurimùm bifoliatis. Calyx quadri ad septemdentatus, superus. Corolla subcampanulata, limbo planiusculo, laciniis quatuor ad septem lanceolatis. Staminum filamenta brevia, quatuor ad septem tubi basi affixa, laciniis alterna; antheræ biloculares, oblongæ, acuminatæ. Germen obovatum; styli duo longissimi (rarò tres), hirsutissimi, papillosi; stigmata obtusa. Bacca obovato-oblonga, calycis decidui vestigiis suprà umbilicata, pulposa, rubra, bilocularis. Semina solitaria, hìnc plana sulcata, indè convexa, in cocculo conformi, chartaceo, evalvi. Corculum in medio perispermi carnosi; radiculâ inferâ, tereti, subincurvâ; cotyledonibus ellipticis, foliaceis.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos auctus. 2. *Idem*, corollâ sejunctâ. 3. Corolla aucta, longitudinaliter fissa, expansa. 4. Bacca. 5. *Ejusdem* sectio transversalis, cocculis intactis. 6. Cocculi seorsùm, naturali situ. 7. Cocculi anticè visi et aucti, seminisque sectio transversalis. 8. *Eorumdem* longitudinalis sectio, cum situ et figurâ corculi.

Obs. Huic Rubiaceæ, staminibus inclusis imprimis distinctæ à Coprosmâ lucidâ, *Forst. Prodr.*, 137, numerus staminum quinarius frequentior, ut calycis corollæque laciniarum.

CHENOPODIUM.

Calyx quinquepartitus. Corolla nulla. Semen unicum, lenticulare, superum.

CHENOPODIUM BACCATUM. Tab. 96.

Chenopodium polygamum; foliis lanceolatis; glomerulis florum in racemis compositis, terminalibus, subaphyllis.

Frutex quinquepedalis et ultrà, ramis substriatis. Folia alterna, petiolata, subtùs glauca, pulverulenta, avenia. Hermaphroditi flores in glomerulis immixti masculis et fœmineis. Calycis laciniæ ovatæ. Staminum filamenta subulata, infrà barbata, latiuscula, imò calyci inserta, ejusdem laciniis opposita; antheræ biloculares, didymæ, subglobosæ. Germen superum, suborbiculatum; stylus bipartitus (rarò tripartitus); stigmata acuta. Bacca orbiculato-depressa, pulposa, rubra, unilocularis, calyce appresso semivestita. Semen unicum, horizontale, lenticulare, atrum, nitidum. Corculum teretiusculum, farinaceo typo circumpositum; radiculâ horizontali, centrifugâ, multò breviori cotyledonibus semicilindricis. Floribus masculis omnia hermaphroditorum, dempto germine, ut et fœmineis, demptis staminibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos, hermaphroditus, clausus. 2. *Idem*, explicatus. 3. Flos fœmineus. 4. *Alter*, masculus. (Omnia aucta.) 5. Bacca calyce semicincta, stylo superstite. 6. *Eadem*, aucta. 7. *Ejusdem* sectio transversalis, intacto semine, calyce dempto. 8. *Ejusdem*, verticali situ, seminisque sectio transversalis, cum situ et figurâ corculi. 9. Semen auctum, horizontali situ. 10. *Idem*, situ verticali.

Obs. Hanc plantam, fructû quamvis baccato, rectiùs, ut arbitror, Chenopodium existimavi quàm Anabasim, facie, seminis structurâ, defectuque trium bractearum singuli floris.

SWERTIA.

Corolla rotata. Pori (addo aut glandulæ) ad basim laciniarum corollæ. Capsula unilocularis, bivalvis.

SWERTIA PARNASSIFOLIA. Tab. 97.

Swertia corollis quinquepartitis; foliis radicalibus cordatis; caulinis lanceolatis, alternis.

Caulis sesquipedalis, dichotomus, subcompressus. Folia radicalia numerosa, cordata, subrepanda, quinque ad septemnervia, petiolis longissimis, compressis, infrà dilatatis. Folia verò caulina perpauca, lanceolata, brevia, superiora scilicet bracteiformia, inferiora nonnunquàm radicalibus conformia, omnia alterna. Bractea lanceolata, pedicellis multò brevior, sub singulis paniculæ dichotomæ divisionibus apposita. Calyx inflatus, turbinatus, quinquepartitus, laciniis ovalibus, oblongis. Corolla tubo brevissimo, quinquepartita, laciniis lanceolatis, lutea, intùs pilosa, marcescens. Staminum filamenta quinque brevia, corollæ tubo inserta, laciniis alterna; antheræ biloculares, lanceolatæ, infrà bifidæ. Glandulæ quinque suborbiculatæ, minimæ, insertæ sub corollâ ejusdemque laciniis oppositæ. Germen ovatum, stylo breviori; stigmata duo acuta. Capsula supera, oblonga, unilocularis, bivalvis, receptaculo longitudinali in medio valvulæ cujusvis suprà bifidæ. Semina plurima, globosa, tenuissimè scrobiculata, pallida, straminea. Corculum teretiusculum in perispermo carnoso.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Corolla longitudinaliter fissa, expansa. 2. *Eadem*, aucta. 3. Pistillum cum calyce clauso. 4. *Idem*, calyce expanso. 5. *Idem*, auctum, laciniis calycinis resectis. 6. Capsula. 7. *Ejusdem* sectio transversalis. 8. Uniùs valvulæ transversalis sectio, alterâ intactâ.

Obs. Seminum maturitatis defectû mihi non est affirmare radiculæ corculi situm in hâc plantâ quàm glandulis, formâ corollæ et antherarum, Swertiæ generi associandam rectiùs, ni fallor, quàm Gentianæ aut Chironiæ proposui. Notandum est germen ejusdem primo aspectu semiinferum videri, si non attentè consideretur calycis inferam partem turbinatam vacuam esse, et veram capsulam suprà eamdem cum receptaculis positam esse.

ERYNGIUM,

ERYNGIUM.

Flores in umbellulâ capitati, paleis distincti. Involucrum polyphyllum, rigidum. Calyx proprius quinquepartitus. Petala inflexa. Fructus inferus, ovatus, in semina duo bipartibilis.

ERYNGIUM VESICULOSUM. Tab. 98.

Eryngium foliis lanceolatis, pinnatifido-spinosis, stoloniferum; seminum vesiculis acuminatis.

Planta pusilla, caule repente, umbellulis axillaribus, simplicibus, pedunculatis, quinque ad decemfloris, unicâ æquè simplici sed longiùs pedunculatâ stolonum basi ut plurimùm eminente. Involucri radii duplò longiores capitulo ovato, floribus sessilibus, distinctis paleis iisdem radiis conformibus, integerrimis. Singulis floribus calyx superus, foliolis quinque, ovato-lanceolatis, rigidis. Petala quinque, inflexa, medio septifera, utrinquè semilocularia, suprà bicornia. Staminum filamenta quinque, petalis longiora; antheris bilocularibus, ovatis. Germen tectum vesiculis imbricatis, ovatum, inferum; styli duo reflexi; stigmata subcapitata. Fructus ovatus, coronatus calyce, bipartibilis in semina duo hìnc plana indè convexa, substriata, vesiculis contecta ovatis, acutis, elevato-puncticulatis, hyalinis, reticulatis, imbricatis, contusa terebinthinæ odorem spirantia.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, anticè visus. 3. Petalum visum anticè. 4. *Idem*, à latere visum. 5. Fructus. 6. *Ejusdem* sectio transversalis. (Omnia aucta.)

AZORELLA.

Petala quinque, ovata, integra. Fructus subglobosus, striatus, calyce persistenti coronatus, bipartibilis. Involucrum tri ad hexaphyllum. Umbella simplex aut composita.

AZORELLA LANCEOLATA. Tab. 99.

Azorella umbellis compositis; foliis lanceolatis.

Frutex ramis teretibus, pilosiusculis, patentibus. Folia alterna, lanceolata, tri ad quinquenervia. Umbella composita radiis quatuor ad octo, (raró simplex). Involucri involucellique foliola tria ad sex, subulata, radiorum longitudine. Singulis floribus calyx superus, minimus, quinquedentatus. Petala ovato-oblonga, integerrima, lineâ longitudinali intùs mediò elevata. Stamina vix longitudine petalorum; antheris bilocularibus, subglobosis. Germen ovatum, subcompressum; styli reflexi; stigmata simplicia, acuta. Fructus subglobosus, compressus, coronatus calyce, bipartibilis in semina duo axe tereti superiùs dependentia, hìnc subangulata, dorso notata lineis quinque ad septem elevatis, omnibus, sive alternis solummodò, tuberculorum serie exasperatis. Flores quidam abortivi.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos, cæteris ejusdem umbellulæ resectis, umbellæque radiis. 2. Fructus, lineis alternis rugosis. 3. *Alter*, lineis elevatis omnibus rugosis. 4. Semina soluta, cum axe intermedio. (Figuræ omnes auctæ.)

AZORELLA OVATA. Tab. 100.

Azorella umbellis compositis; foliis ovatis, imbricatis.

Frutex pedalis et ultrà, vestita epidermide seu cuticulâ pilosiusculâ, de se sosolubili, tenuissimâ, hyalinâ. Folia ovato-acuminata, tri ad quinquenervia, subimbricata. Cæterùm ut in specie præcedenti.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

AZORELLA COMPRESSA. Tab. 101.

Azorella umbellis compositis ; caule compresso , subaphyllo.

Caulis infrà procumbens , herbaceus , ramosus , anceps ut ramuli nudusque si foliola capillaria excipias , minima , bi ad trifida aut simplicia , sub ramulorum divisionibus enata , desinentia in alam angustam ad ramulos inferiores usquè productam. Umbellæ radii inæquales , umbellulis simplicibus decompositisque ; foliolis involucri quatuor ad sex subulatis , involucellis verò di ad tetraphyllis , omnibus radiis brevioribus. Singulo flori calyx subinteger , denticulis quinque minutissimis. Corolla , stamina , pistillumque ut in præcedentibus. Fructus transversìm ellipticus , compressus , subdidymus , bipartibilis in semina duo hìnc bisulca , subcarinata , dorso convexa , rugosula , lineis tribus elevatis notata. Flores quidam abortivi.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. Petalum. 3. Pistillum, stamine unico superstite. 4. Semen. (Figuræ omnes auctæ, ultimâ exceptâ.)

Obs. Hæc planta gummifera crescit in sabulosis. Nùm extant folia radicalia? Saltem nulla vidi. Fortassè jam æstu fuerant arefacta ?

SCANDIX.

Involucrum universale nullum , partialibus polyphyllis. Calyx integer. Corolla ut plurimùm radiata. Fructus inferus , oblongus , subulatus.

SCANDIX GLOCHIDIATA. Tab. 102.

Scandix corollis uniformibus ; fructûs ovati aculeis glochidiatis.

Caulis herbaceus, dodrantalis , erectus , lævis, (interdùm scaber aculeis mollibus reflexis). Folia bipinnata , foliolis incisis , pilosa , vix petiolis longiora ,

alterna, basi verò umbellarum bina aut terna. Umbellæ terminales axillaresque, radiis inæqualibus, binis ad senis. Umbellulæ pauciflorae radiis etiam inæqualibus, involucellis mono ad hexaphyllis. Singulo flori calyx integer. Petala quinque, ovata, æqualia, minima, extùs pilosa. Stamina vix longitudine petalorum; antheris bilocularibus, globosis. Germen inferum, ovatum, hispidum; styli duo recurvi, petalorum longitudine; stigmata subacuta. Fructus ovatus, bipartibilis in semina duo, hinc planiuscula, bistriata, indè convexa, muricata aculeis per series quatuor longitudinales dispositis, apice glochidiatis aculeolis tribus ad quatuor retroversis, superiùs propendentia ex axe centrali, bifido.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos auctus. 2. Semina ex axe propendentia, aucta.

OBS. Scandici non minùs æquè ac Scandix anthriscus, hæc planta associanda.

A P I U M.

UMBELLÆ compositæ. Involucra mono ad triphylla aut nulla. Singulo flori calyx integer. Petala subrotunda, inflexa. Fructus inferus, ovatus, gibbus, striatus.

APIUM PROSTRATUM. Tab. 103.

APIUM nodiflorum, procumbens; umbellis sessilibus pedunculatisque; involucris monophyllis aut nullis.

RADIX perpendicularis, simplex. Caulis striatus, debilis, ramis etiam ut plurimùm procumbentibus. Folia imparipinnata, alterna, foliolis ovatis, dentatis, incisis, oppositis, summis tribus confluentibus, caulina quædam ternata. Umbellæ foliis caulinis oppositæ, sessiles aut pedunculatæ, involucro monophyllo, brevi, lanceolato, interdùm nullo, radiis quatuor ad octo, subæqualibus; umbellulæ nudæ quinque ad decemfloræ. Singulo flori calyx integer. Petala quinque ovata cum acumine inflexo. Stamina vix petalorum longitudine; antheris bilocularibus, subglobosis. Germen inferum, ovatum; styli divaricati; stigmata

obtusa. Fructus bipartibilis in semina duo semiovata, gibba, costis quinque convexis exarata, intùs plana, superiùs propendentia ex axe centrali, bifido.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petalum separatìm. 3. Pistillum et stamina. 4. Fructus. 5. Semina soluta. (Figuræ omnes auctæ.)

Obs. Hæc est planta de quâ jam mentio fit, pag. 141, vol. 1, edit. in-4°. operis mei evulgati, sub titulo *Voyage à la Rech. de la Pérouse.* Ejus varietatem descripsit figuravitque Cel. *Vent.*, pag. tab.que 81 operis inscripti *jardin de Malm.*

TRIGYNIA.

STACKHOUSIA.

Calyx quinquepartitus. Petala quinque unguibus coalita. Capsula tricocca, loculis monospermis (addo aut dispermis) (1).

STACKHOUSIA MONOGYNA. Tab. 104.

Stackhousia stylo tripartito; foliis obovato-lanceolatis.

Planta sesquipedalis, erecta, vix fruticulosa, caule tereti, fistuloso ut rami similiterque striato, seu lineis elevatis per paria basi foliorum enatis notato. Folia alterna, lanceolata, alia obovato-oblonga, subspatulata, omnia integerrima, avenia. Flores in spicis terminalibus, elongatis, singuli bracteâ suffulti ovato-lanceolatâ squamisque binis conformibus, hyalinis, brevioribus. Calyx urceolatus, quinquefidus, laciniis ovato-lanceolatis. Petalorum ungues longissimi, inter se coaliti, infrà tamen distincti, inserti calycis summo sub ejusdem laciniis iisque alterni. Staminum filamenta quinque, subulata, ibidem inserta, laciniis calycinis

---

(1) *Smith, Linn. Trans.* 4, *p.* 218.

opposita, inæqualia; antheræ incumbentes, oblongæ, biloculares. Germen superum, ovatum, striatum; stylus tripartitus (rarò quadripartitus), staminibus brevior; stigmata simplicia, acuta. Capsula tricocca (rarò quadricocca), cocculis hinc angulatis, dorso convexis, bisulcis, carinato-cristatis, vix fissurâ longitudinali anticè dehiscentibus, mono ad dispermis. Semina obovata, castanea, hylo anticè in fundo cocculorum affixa. Corculum ovato-oblongum, in perispermo tenui, carnoso; radiculâ inferâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, corollâ demptâ. 3. Corolla seorsùm. 4. Pistillum, calycis laciniis resectis. (Figuræ præcedentes paululùm auctæ.) 5. Capsula. 6. *Eadem*, cocculis expansis. 7. Cocculi sectio transversalis, intacto semine. 8. Semen. 9. *Ejusdem* sectio longitudinalis, cum situ et figurâ corculi.

Obs. Nùm Terebintaceis adnumerandum hoc genus, ut proposuit Celeberr. Auctor? Nùm verò Rosaceis?

PENTAGYNIA.

DROSERA.

Calyx quinquepartitus, persistens. Petala quinque. Capsula supera, unilocularis, tri ad quinquevalvis, polysperma.

DROSERA BINATA. Tab. 105.

Drosera scapis radicatis; petiolis folio binato longioribus.

Folia omnia radicalia, binata, foliolis subulatis, paginâ inferiori nudis, superiori verò marginibusque tectis ciliis glanduloso-capitatis. Petioli semiteretes, nudi, foliolis duplò ad quadruplò longiores. Scapus teres, paulò longior foliis, glaber, vix spithameus, in dichotomiâ racemorum uni ad triflorus, pedicellis longioribus calyce, racemis tri ad sexfloris. Calycis laciniæ suprà lacero-dentatæ, subciliatæ.

Petala ovata, ungue brevi, marcescentia. Staminum filamenta subulata, planiuscula; antheris ovatis, bilocularibus, adnatis. Germen superum, ovatum; styli tres ad quinque multifidi, (aliàs styli plurimi); stigmata obtusa. Capsula ovata, unilocularis, tri ad quinquevalvis. Semina numerosa, ovata, testacea, parieti valvularum interno affixa.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos, petalis quatuor demptis. 2. Petalum separatìm. 3. Calyx seorsùm. 4. Pistillum et stamina, laciniis calycinis resectis. 5. *Idem*, semotis staminibus. 6. *Idem*, auctum.

DROSERA SPATULATA. Tab. 106. Fig. 1.

DROSERA scapis radicatis suprà calycibusque subhirsutis; florum stylo unico tri ad quinquepartito.

FOLIA omnia radicalia, spatulata, reticulato-venosa, suprà marginibusque tecta ciliis glanduloso-capitatis. Scapi palmares, solitarii aut bini, compressi, supernè vix pilosi ut calyces, racemo terminali, sex ad duodecimfloro, secundo. Calycis laciniæ integerrimæ, acutæ. Petala ovato-oblonga. Stamina ut in præcedente. Germen superum, globosum; styli tres ad quinque simplices, basi coaliti; stigmata capitata. Capsula ovata, unilocularis, tri ad quinquevalvis. Semina numerosa, oblonga, parietalia.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Pistillum, calycis laciniis resectis. 2. Petalum separatìm. (Omnia aucta.)

DROSERA PELTATA. Tab. 106. Fig. 2.

DROSERA foliis radicalibus orbiculatis, margine petiolatis; caulinis peltatis, suborbiculatis, biauritis.

DROSERA caule subramoso, foliis triangularibus, longè petiolatis, peltatis. *Will. Spec. Plant.* 1, *p.* 1546.

DROSERA caule simplici, foliis peltatis, orbiculatis. *Thungb. Dissert.* 2, *p.* 405.

Caulis spithameus ad pedalis, debilis, flexuosus, compressus. Folia petiolis nudis, reticulato-venosa, suprà marginibusque tecta ciliis glanduloso-capitatis; radicalia orbiculata, margine petiolata petiolis compressis; caulina verò peltata, suborbiculata, auriculis binis æquè ciliatis marginata, petiolis teretibus, elongatis. Racemus terminalis, pauciflorus, pedicellis flore longioribus. Calycis laciniæ suprà glanduloso-dentatæ. Petala ovato-lanceolata, unguiculata. Styli tres, multifidi; stigmatibus obtusis. Capsula ovata, unilocularis, trivalvis. Semina numerosa, oblonga, utrinquè acuta, parieti valvularum interno affixa. Cæterùm ut in præcedentibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petalum separatìm. 3. Pistillum, calycis laciniis resectis. (Figuræ omnes auctæ.)

CLASSIS VI.

HEXANDRIA.

MONOGYNIA.

BORYA.

Corolla sexfida. Filamenta ore tubi inserta, limbi laciniis opposita. Stigma simplex. Capsula supera, trilocularis, polysperma. Glumæ calycinæ bivalves, imbricatæ (1).

BORYA NITIDA. Tab. 107.

Borya capitulorum involucris foliisque acerosis, ut radiculæ simplices nitidis.

Planta in arenis crescens, herbacea, spithamea, ramis infrà emittentibus radiculas simplices, longas, crassas, teretes, cortice fungoso, solubili, glabritie nitido obductas. Folia confertissima, acerosa, cum acumine duriusculo, glaberrima, tenuissimè serrulata, supernè triquetra, basi dilatata, vaginantia. Florum capituli ovati, bracteis obvallati tribus ad sex, inæqualibus, conformibus foliis, iisdem verò brevioribus; pedunculo communi elongato, substriato, terminali. Singulo flori calyx nullus, nisi calycem velis squamas geminas, oblongas,

(1) Hoc genus dicavi *J. B. G. M. Bory de St.-Vincent*, itineribus nuper evulgatis insigni.

(inferioribus sterilibus), florem cingentes, squamâ scilicet anteriori integerrimâ, posteriori verò suprà bi ad tridentatâ. Corollæ tubus cilindraceus, tenuis, infrà dilatatus; limbi laciniis patentibus, lanceolatis, tubo brevioribus. Stamina vix earumdem longitudine, filamentis subulatis; antheris ovatis, bilocularibus. Germen superum, ovato-oblongum; stylus filiformis, vix staminibus longior; stigma capitatum. Capsula ovata, rotundè trigona, infrà paululùm attenuata, trilocularis, trivalvis, septis in medio valvularum dissepimenta efformantibus. Semina plura, rugosula, ovata, dorso convexa, indè angulata, marginibus dissepimentorum affixa.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos, squamis baseos geminis expansis. 2. *Idem*, longitudinaliter fissus, squamis prædictis demptis. 3. Stamen seorsùm. 4. Pistillum. 5. Capsula. 6. *Ejusdem* sectio transversalis. 7. Semina. (Figuræ omnes paululùm auctæ.)

Obs. Juncis adnumerandum illud genus ut Aphyllanthes, ab eâdem differt potissimùm glumis bivalvibus, corollâ monopetalâ ut et stigmate simplici.

HYPOXIS.

Corolla sexpartita, persistens, supera. Capsula trilocularis, evalvis, basi angustior. Spatha bivalvis aut nulla.

HYPOXIS HYGROMETRICA. Tab. 108.

Hypoxis scapis unifloris, suprà medium unibracteatis, foliisque tectis pilis hygrometricis, contortis.

Folia filiformia, quædam scapis longiora, ut iidem tecta pilis raris, contortis, tam hygrometricis ut ad manum vel faciem admoti torsionis detorsionisque, si liceat ita loqui, motu continuo agitentur. Scapi palmares, solitarii ad terni, absque spathis, nisi spatham dicas foliolum bracteiforme, lanceolatum, à flore semipollicem distans. Corollæ laciniæ lanceolatæ, patentes, flavidæ, extùs lineâ viridi notatæ. Stamina sub laciniis corollæ inserta, iisdem breviora et opposita; filamentis subulatis; antheris bilocularibus, hastatis. Germen inferum, turbi-

natum; stylus vix staminum longitudine; stigma obtusum. Capsula obovata, in scapum subinflexa, corollâ persistente coronata, trilocularis, evalvis. Semina plura, orbiculata, compressa, atra, punctis minutissimis excavatis subscabrosa, angulo interno cujusvis loculamenti affixa.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos sectus, expansus. 2. Capsula corollâ persistenti coronata. 3. *Ejusdem* sectio transversalis. 4. Semina...... *a*, pilus insigniter auctus.

Obs. Hypoxidis aliæ quædam species pilis etiam vestiuntur intortis, non verò tali gradu hygrometricis.

ORNITHOGALUM.

Corolla hexapetala, patens, persistens. Filamenta basi dilatata. Stigma unicum. Capsula supera, trilocularis. Semina subrotunda, nuda.

ORNITHOGALUM DICHOTOMUM. Tab. 109.

Ornithogalum petalis alternis ciliatis; caule dichotomo subaphyllo; filamentis subulatis.

Planta sesquipedalis, radice vix tuberosâ, radiculis teretibus, indivisis. Folia substriata, tenuissimè ciliata, omnia ferè radicalia, quater ad sexies breviora caulibus striatis, ramosissimis, dichotomis, vix infernè foliosis, bracteis lanceolatis sub singulâ dichotomiâ singulis. Flores terminales, solitarii ad terni, bracteis pedicellorum basi squamiformibus, acutis, brevissimis. Calyx nullus. Petala persistentia, lanceolata, interiora tria alterna intùs purpurea, ciliis concoloribus longis marginata, tria verò exteriora undiquè viridescentia. Stamina sub petalis inserta, iisdem opposita; filamentis omnibus subulatis, planiusculis; antheris versatilibus, lanceolatis. Germen superum, ovatum; stylus infrà crassior; stigma acutum. Capsula ovata, trisulca, trilocularis, trivalvis, valvulis medio septigeris. Semina duo in quovis loculo ovata, punctis minutissimis, excavatis conspersa, atra, nitida, margini dissepimentorum utrinquè

affixa, funiculo umbilicali suprà planiusculo, atro, basi dilatato, placentæformi, suborbiculato.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos, petalis demptis. 2. Capsula dehiscens, demptis petalis emarcidis. 3. Semen umbilicali funiculo instructum. 4. *Idem*, auctum.

Obs. Hanc et sequentem Ornithogalum dixi, non verò Anthericum, præsertìm corollâ persistente et filamentis staminum planiusculis, illas huic generi referre anteponendo quàm novum condere. A Xanthorrhoeâ Cel. *Smith*, *Linn. Trans.* 4, *p.* 219, easdem recedit seminum forma, plantarumque facies. Notandum insuper cilia petalorum esse tam fugacia, ut representationem exactam vix dedisset pictor, nisi levem floris adumbrationem confectam in loco natali communicassem.

ORNITHOGALUM TRIANDRUM. Tab. 110.

Ornithogalum petalis alternis ciliatis; pedunculis in scapo compresso umbellatis, articulatis; filamentis subulatis.

Planta spithamea, radice vix tuberosâ, radiculis indivisis. Folia longitudine scapi, linearia, crassiuscula, tenuissimè striata, scabra. Scapi plures vel solitarii, compressi, infrà scabri, multiflori, pedunculis teretibus, glabris, medio quò transversìm facillimè solvuntur, articulatis, multò longioribus bracteis ovato-lanceolatis. Stamina tria, petalis interioribus ciliatis, intùs purpureis, opposita. Cætera omnia floris et fructûs ut in specie præcedenti.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos, petalis demptis. 2. Capsula nondùm matura. 3. Capsula, dehiscens. 4. Semen. 5. *Idem*, auctum.

ALETRIS.

Corolla infundibuliformis, rugosa. Stamina inserta laciniarum basi. Capsula supera, trilocularis, loculis polyspermis.

ALETRIS PUNICEA. Tab. 111.

ALETRIS foliis lineari-lanceolatis, striatis, crenulatis; scapo subfolioso.

FOLIA radicalia vix vaginantia, plana, rigida, utrinquè striata, nervo medio paginæ exterioris multùm exstanti, interioris nullo, margine subcartilaginea tenuissimè crenulata, exteriora scapi longitudine. Scapus teretiusculus, bipedalis, infrà subfoliosus, folio unico aut bino conformi cæteris, sed minori, ultrà munitus foliolis adpressis, semivaginantibus, striatis, superioribus bracteis conformibus. Racemus palmaris et ultrà; bracteæ substriatæ, pollicares, pedunculis earumdem longitudine, foliolo filiformi infrà stipatis, fructiferis erectis. Corolla punicea, intùs sulphurea, tubo suprà ventricoso, vix rugosa, laciniis sex ovatis, sulphureo-marginatis. Stamina corollæ laciniis opposita, sub iisdem inserta, filamentis solutis moxque longitudinaliter tubo ad basim usquè adnatis; antheræ hastatæ, obtusæ, biloculares. Germen superum, lanceolatum, trigonum; stylus subulatus, vix exsertus; stigma trifidum. Capsula longa, trigona, utrinquè attenuata, pedicellata, infrà vestita corollâ emarcidâ, trilocularis, trivalvis. Dissepimenta ex valvularum marginibus inflexis, ad axem coadunatis, valvulis intùs dehiscentibus. Semina numerosissima, oblonga, hispida, duplici serie valvularum marginibus affixa. Corculum lineare, teretiusculum, in perispermo carnoso, versùs umbilicum.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos longitudinaliter fissus, expansus. 2. Anthera posticè visa, aucta. 3. *Altera* visa anticè. 4. Capsula, corollâ emarcidâ conspicuâ: 5. *Ejusdem* transversalis sectio, demptâ corollâ. 6. Valvulæ expansæ transversalis sectio, seminibus conspicuis. 7. Semen auctum. 8. *Ejusdem* sectio longitudinalis, cum situ et figurâ corculi.

ANOPTERUS.

CALYX sexfidus, persistens. Corolla tubo brevissimo, sexloba, æqualis. Capsula unilocularis, bivalvis. Semina alata, valvularum marginibus affixa. *Etymolog.* ab ἄνω, sursùm, πτερὸν, ala, propter semina sursùm versùs alata.

ANOPTERUS GLANDULOSA. Tab. 112.

Anopterus foliis serrato-glandulosis; racemis simplicibus.

Arbor quinqueorgyalis. Folia alterna, oblonga, acuta, infrà attenuata, subpetiolata, serrata, puncto sub apice interiori cujusvis serraturæ elevato, glanduloso, atro, subamara. Flores in racemis simplicibus, solitariis ad quaternis, terminalibus. Calycis laciniæ sex, breves, acutæ. Corolla monopetala, ferè ad basim usquè sexpartita (raró septempartita), laciniis ellipticis, concavis. Stamina sex (raró septem), breviora corollâ, filamentis subulatis, basi ejusdem affixis; antheræ biloculares, ovatæ. Germen superum, obversè turbinatum; stylus brevis; stigma bifidum. Capsula calyce cincta, oblonga, unilocularis, bivalvis, valvulis ferè ad basim usquè dehiscentibus. Semina plura, ovata, subtrigona, compressiuscula, ferruginea, suprà aucta alâ oblongâ, hyalinâ, pallidâ, marginibus valvularum incrassatis, duplici serie, affixa. Corculi formam in perispermo carnoso, quam tamen ex observatâ cavitate conjicio cilindricam, maturitatis defectu, mihi non est affirmare.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos anticè visus. 2. *Idem*, posticè. 3. Corolla fissa longitudinaliter, expansa. 4. Stamen anticè visum, auctum. 5. *Idem*, visum posticè. 6. Pistillum et calyx. 7. Capsula cincta calyce, paululùm aucta. 8. *Eadem*, valvulis sejunctis, seminibus conspicuis.

Obs. Hoc genus propono Gentianis adnumerandum.

LORANTHUS.

Germen inferum. Calyx subinteger. Corolla sexpartita aut hexapetala. Stamina versùs apicem petalorum inserta. Bacca monosperma.

LORANTHUS FLORIBUNDA. Tab. 113.

Loranthus pedicellis racemorum trifloris; bracteis ternis; caule arboreo; foliis linearibus obtusis.

Arbor tri ad quinqueorgyalis, trunci diametro sesquipedali et ultrà, ramis numerosis divergentibus. Folia alterna, crassa, linearia, obtusa. Flores in racemis simplicibus, plurimis ramulorum summo, vix spithameis, squamis aliquot foliaceis infrà stipatis. Pedicelli vix floribus longiores, singuli triflori, bracteis tribus, ovato-oblongis, germen superantibus. Calyx dentibus tribus ad quinque inæqualibus. Petala sex, linearia, sulphurea. Stamina totidem (1), petalis medium versùs inserta, filamentis iisdem brevioribus; antheræ versatiles, sub-hastatæ, biloculares. Germen inferum, turbinatum, subtrigonum; stylus corollâ brevior, striatus, subulatus; stigma acutum. Fructus immaturus, monospermus, semine obvoluto pulpâ (dùm secta transversìm et pressa) gluten è tubis longitudinalibus fundente.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flores cum bracteis et pedicello. 2. Flos seorsùm. 3. Petalum separatìm. 4. Pistillum. 5. Fructûs immaturi, aucti, sectio transversalis.

FRANKENIA.

Calyx subangulatus, quinquefidus aut partitus. Petala quinque (rarò quatuor), ungue intùs canaliculato. Stigma divisum aut simplex. Capsula supera, unilocularis, trivalvis, polysperma.

---

(1) Numerus staminum senarius ut et petalorum frequentior, interdùm tamen quinarius aut septenarius.

FRANKENIA TETRAPETALA. Tab. 114.

FRANKENIA floribus solitariis, tetrapetalis; foliis crassis, teretibus, basi solutis.

FRUTICULUS procumbens, vix cubitalis. Folia opposita, connata, poris glandulosis pertusa, teretia, suprà sensìm attenuata, extùs longitudinali sulco exarata, basi processum emittentia, quasi soluta. Flores in summo ramulorum solitarii. Calyx quadripartitus, persistens, laciniis lanceolatis, conniventibus, intùs canaliculatis, margine tomentosis. Petala quatuor, obtusa, unguibus canaliculatis, calycis longitudine. Staminum filamenta sex, subulata; antheræ ovatæ, biloculares, exsertæ. Germen superum, oblongum, trigonum; stylus simplex, exsertus; stigma obtusum. Capsula ovata, trigona, unilocularis, trivalvis, nondùm perfectè matura, seminibus numerosis, minimis, ovatis, receptaculo centrali affixis.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, expansus. 3. Calyx separatìm, expansus. 4. Petalum sejunctum. 5. Pistillum....... *a*, ramuli sectio cum foliis binis insigniter auctis.

GAHNIA.

PALEÆ fasciculatæ, conniventes, plurimæ vacuæ. Stamina ut plurimùm sena. Stylus tri ad quinquefidus. Semen nucamentaceum, filamentis staminum demùm longissimis infrà stipatum (1).

---

(1) Genericus character emendatus.

GAHNIA PSITTACORUM. Tab. 115.

Gahnia paniculæ densæ spiculis oblongis, altero flosculo sterili, aut nullo.

Culmi orgyales et ultrà, foliosi, teretes, foliis alternis vaginantibus, ut radicalia lineari-subulatis, extùs scabrosis aculeolis hyalino-vitreis. Panicula spithamea ad sesquipedalis, coarctata, densa, spiculis oblongis, imbricatis squamis numerosis, ovatis, vix acuminatis, inferioribus vacuis, sensìm minoribus, superioribus duabus plenis, flosculo altero hermaphrodito, altero compressione sterili, (interdùm nullo). Hermaphrodito flori stamina sex (interdùm quatuor aut quinque), filamentis planiusculis, demùm longissimis, germinis basi affixis; antheræ oblongæ, biloculares, adnatæ. Germen turbinatum; stylus tri ad quinquefidus, (sæpiùs quadrifidus); stigmata simplicia, acuta. Nux ovata, styli fragmine acuminata, staminum filamentis infrà stipata, spadicea, nitida, psittacis gratissima, unilocularis, evalvis, putamine osseo, durissimo, oblongo, annulatìm impresso, atro, carne tenui, durâ, obducto. Semen crucæforme, teretiusculum, utrinquè obtusum, impressionibus quinque ad sex, transversis, annularibus, coarctatum, ut in Gahniâ procerâ fuit descriptum et figuratum à Clar. *Gærtn. fil., de sem., p.* 10, *tab.* 181. Perispermum carnosum, albidum, corculo non manifesto, excepto globulo viridi-sulphureo propè umbilicum (fortassè immaturo), à perispermo non solubili.

Flori sterili, si adsit, omnia hermaphroditi, germine citò evanido, aut nullo.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula biflora. 2. *Eadem*, sterili flore paleisque demptis. 3. Spicula fructigera, paululùm aucta. 4. Nux pariter aucta, staminum filamentis stipata. 5. *Ejusdem* sectio longitudinalis, semine conspicuo.

GAHNIA TRIFIDA. Tab. 116.

Gahnia paniculæ capitellis subglobosis; stylo trifido.

Culmi bipedales, foliosi, teretes, foliis alternis, vaginantibus, ut radicalia equitantia lineari-subulatis, suprà scabris. Panicula gracilis, coarctata, spithamea

et ultrà, spiculis plurimis congestis in capitula subglobosa. Spiculæ imbricatæ paleis quatuor ad sex, ovato-oblongis, acuminato-serrulatis, subæqualibus, inferioribus vacuis, unicâ superiori floriferâ. Staminum filamenta sex (interdùm quatuor aut quinque), pallida, infrà crassiuscula, rufa, pistillo ad basim affixa; antheræ oblongæ, acuminatæ, biloculares, adnatæ. Germen globosum; stylus trifidus; stigmata obtusa. Nux ovato-subtriquetra, nitida, cærulescens, unilocularis, evalvis, staminum filamentis demùm longissimis infrà stipata, (nondùm perfectè matura), semine solitario, rufescenti.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Spicula florifera. 2. Pistillum staminibus stipatum. 3. Spicula fructigera, nuce jam basi solutâ. 4. Nux seorsùm, staminum filamentis stipata. (Figuræ omnes auctæ.)

EHRHARTA.

Calyx gluma bivalvis, abbreviata, uniflora. Corolla duplex, utraque bivalvis, exterior compressa, acinaciformis, basi excisa.

EHRHARTA DISTICHOPHYLLA. Tab. 117.

Ehrharta culmo diviso; spicâ compressâ; foliis distichis, intùs pilosis.

Culmus substriatus, vix pedalis, infrà debilis, divisus, ramulis erectis, plurimis sterilibus brevioribus, omnibus tectis ut ipsemet culmus foliorum vaginis. Folia longitudine vaginarum, pollicaria, subulata, rigida, vix striata, intùs pilosa, inferiora plana, latiuscula, superiora involuta; vaginæ ore ciliato pilosiusculæ, substriatæ. Flores in spicis compressis, vix pollicaribus, rariùs interruptis. Calycis valvulæ subæquales, ovatæ, breves, membranaceæ, tenuissimè ciliatæ. Corolla mutica, duplex; exterior valvulis binis, oblongis, obtusis, complicatis, septemnerviis, extùs basi geminis impressionibus excavatis, inæqualibus, (exteriori valvulâ scilicet dimidiò breviori); corollæ interioris valvulæ subæquales, complicatæ, exterior quinquenervis, oblonga, obtusa, interior lanceolata, membranacea, hyalina. Squamæ binæ genitalia cingentes,

ovatæ, integerrimæ, breves, hyalinæ, membranaceæ. Staminum filamenta sex, filiformia, vix antheris bilocularibus, oblongis, longiora. Germen ovatum; stylus ad basim usquè bipartitus, stigmatibus plumosis. Semen unicum, oblongum, utrinquè acutum, valvulis corollinis persistentibus obvolutum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Calyx seorsùm. 3. Corolla exterior. 4. Corolla interior cum staminibus et pistillo. 5. Pistillum et stamina, squamis cingentibus conspicuis. (Figuræ omnes auctæ.) 6. Semen. 7. *Idem*, auctum.

EHRHARTA STIPOIDES. Tab. 118.

Ehrharta culmo simplici; paniculâ flexili, coarctatâ; pedicello corollæ exterioris aristatæ piloso.

Culmus sesquipedalis et ultrà, striatus ut vaginæ et folia plana, inferiora rugosula. Panicula gracilis, spithamea, pedicellis filiformibus, inæqualibus. Calycis valvulæ ovatæ, acutæ, minimæ, interiori paululùm longiori. Corolla pedicello unciali, basi piloso, suprà calycem elevata, duplex; exterior valvulis oblongis, aristatis, quinque ad septemnerviis, ut aristæ hispido-scabris, valvulâ exteriori minori; corolla interior brevior, valvulâ exteriori oblongâ, acutâ, carinâ sursùm asperatâ, interiori verò lineari-lanceolatâ, membranaceâ, hyalinâ. Squamæ binæ genitalium baseos, oculo quidem armato vix conspicuæ. Staminum filamenta sex, capillaria, triplò longiora antheris bilocularibus, ovatis, hinc indèque bifidis. Germen ovatum; stylus ad basim usquè bipartitus; stigmatibus barbatis. Semen unicum, ellipticum, oblongum, compressiusculum, valvulis corollinis persistentibus inclusum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, expansus. 3. Corolla interior expansa, pistillo staminibusque conspicuis. 4. Semen. (Omnia aucta.)

Obs. Ab Ehrhartâ longiflorâ *Smith, ined. t.* 32, *et Swartz, Linn. Trans.* 6, *p.* 56, in multis differt, sed præsertìm corollâ pedunculatâ, squamisque germinis baseos vix conspicuis.

LOMANDRA.

Calyx hexaphyllus, persistens, basi squamis imbricatis. Corolla nulla. Capsula supera, trilocularis, trivalvis, valvis medio septigeris. Semina solitaria, arillata. *Etymolog.* à λῶμα, margo, ανδρὸς, maritus, propter circularem antherarum marginem.

LOMANDRA LONGIFOLIA. Tab. 119.

Lomandra foliis planiusculis, suprà dentatis, longioribus scapo; antheris conformibus.

Folia linearia, substriata, apice tridentata, infrà dilatata, equitantia, marginibus membranaceis (in adultis solubilibus, undè planta basi tunc quasi crinita), plurima sesquipedalia. Scapus anceps, spithameus ad pedalis. Flores paniculato-spicati, terminales, suprà verticillati, infrà in spicis oppositis, singuli bracteis subulatis multò breviores, infrà stipati squamulis octo ad decem, ovatis, acutis, hyalinis, integerrimis aut laceris, imbricatis, interioribus sensìm latioribus. Calycis foliola ovata, subulata, alternis tribus exterioribus paululùm latioribus. Staminum filamenta brevia, imò calyci inserta; antheræ suborbiculatæ, biloculares, auctæ membranâ circulari. Germen pyramidato-trigonum; stylus brevis; stigmata tria, obtusa. Capsula supera, ovato-acuminata, rotundo-subtrigona, spadicea, infrà straminea, trilocularis, trivalvis, valvis cortice solubili corticatis, septis earumdem mediis ad axem connatis, loculamenta distinguentibus. Semina solitaria, elliptica, hìnc plana (interdùm angulata), foveâ umbilicali notata, dorso convexa, septis versùs medium affixa, integumento tenui, carnoso, ad umbilicum pervio obducta. Corculum oblongum, subcomplanatum, medio contractum in inferâ cavitate perispermi cornei.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos, squamulis baseos imbricatis. 2. *Idem*, auctus. 3. *Idem*, squamulis demptis. 4. *Idem*, expansus, pistillo staminibusque conspicuis. 5. Capsula calyce cincta. 6. *Ejusdem* transversalis sectio. 7. Capsula seorsùm, dehiscens, dempto partìm cortice. 8. Semen. 9. *Ejusdem* sectio longitudinalis, cum situ et figurâ corculi. 10. Corculum auctum.

Obs. Juncis adnumerandum genus illud omnibus patet.

LOMANDRA RIGIDA. Tab. 120.

LOMANDRA foliis crassis, suprà dentatis, vix scapo longioribus; antheris alternis emarginatis.

FOLIA linearia, striata, crassa, ferè semi-teretia, rigida, suprà bi ad tridentata, spithamea, infrà dilatata, equitantia, marginibus membranaceis, hyalinis, vix paniculam superantia. Scapus brevis, anceps, (interdùm trigonus). Calycis foliola lanceolata. Staminum filamenta tria alterna cæteris longiora, antheris bifidis, non marginatis. Capsula immatura. Aliàs ut in præcedenti specie.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos insigniter auctus, expansus, pistillo staminibusque conspicuis.

TRIGYNIA.

CAMPYNEMA.

COROLLA hexapetala, persistens, supera. Stamina filamentis recurvis. Capsula trilocularis, intùs dehiscens, polysperma. *Etymolog.* à καμπυλος, curvus, νῆμα, filamentum, propter filamenta staminum recurva.

CAMPYNEMA LINEARIS. Tab. 121.

CAMPYNEMA foliis linearibus, obtusis; caule subunifloro, erecto.

RADICES fusiformes. Folia linearia, obtusa, caulina semi-amplexicaulia, sensìm minora. Caulis herbaceus, pedalis et altior, substriatus, erectus, gracilis, sæpiùs flore terminali uniflorus, (interdùm bi ad quadriflorus, pedunculis medium

versùs foliolo instructis, ut plurimùm flore longioribus). Calyx nullus. Petala ovato-lanceolata, acuminata, obtusa. Staminum filamenta brevia, recurva, opposita petalis, eorumdem basi affixa; antheræ versatiles, cordato-oblongæ, biloculares. Germen inferum, subclavatum; styli tres, recurvi, infrà crassiores; stigmata simplicia, obtusa. Capsula oblonga, trigona, trisulca, infrà attenuata, corollâ persistente coronata, trilocularis, trivalvis, valvulis ad axem coadunatis, intùs dehiscentibus. Semina numerosa, horizontalia, depressa, semilunata, integumento spongioso*, subhyalino rufa, serie simplici valvularum marginibus affixa. Corculum non vidi, (perispermo compresso, obovato-acuminato, carnoso, haud dubiè immaturo).

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos posticè visus. 2. *Idem*, anticè. 3. *Idem*, auctus. 4. Stamen auctum. 5. Stylus auctus cum stigmate. 6. Capsula corollâ persistente coronata, vix aucta. 7. *Ejusdem* sectio transversalis. 8. Semen insigniter auctum. 9. *Ejusdem* sectio transversalis, intacto perispermo.

Obs. Affinia Narcissis inter genera hoc adnumerandum propono.

CLASSIS VIII.

O C T A N D R I A.

M O N O G Y N I A.

T E T R A T H E C A.

Calyx quadripartitus, inferus. Corolla tetrapetala. Antheræ quadriloculares, apice poro unico dehiscentes. Capsula bilocularis, bivalvis, valvulis medio septiferis. Semina subsolitaria.

TETRATHECA PILOSA. Tab. 122.

Tetratheca foliis sparsis cauleque pilosis, superioribus integerrimis, linearibus; laciniis calycinis suborbiculatis.

Fruticulus radiculis simplicibus, caulibus numerosis, spithameis et ultrà, teretibus, pilosis ut ramuli foliaque subsessilia, sparsa, subopposita aut terna, superiora linearia marginibus reflexis, inferiora quædam dentata, ovato-oblonga, acuta, infrà attenuata. Flores axillares, solitarii, vix breviores pedunculis basi stipatis bracteâ subulatâ, minimâ; singulis laciniæ calycinæ suborbiculatæ, acutæ, extùs glabræ, pilis glanduloso-capitatis ciliatæ. Petala obovata, inter se basi contingentia, calyce multò longiora. Staminum filamenta brevia, per paria petalis opposita, eorumdem basi affixa, tam rigida ut explicatis floribus citò plerùmque dividantur à petalis, sicque germen cingentia separatìm decidant ut in *figurâ quartâ* ostenditur; antheræ fusiformes, striis duabus anticis et unicâ dorsali

notatæ, quadriloculares, evalves, apice tubulosæ, poro unico pertusæ, coriaceæ. Germen superum, ovatum, complanatum, tuberculatum, pilis glanduloso-capitatis ciliatum; stylus infrà pilosus, subcompressus; stigma acutum. Capsula obovata, compressa, pilis glanduloso-capitatis ad margines asperata, bilocularis, bivalvis, valvulis margine dehiscentibus, septo medio longitudinali connatis in dissepimentum utrinquè seminiferum, maturo fructu vix solubile. Semina solitaria, ovata, acuminata, castanea, pilis raris inspersa, fune umbilicali in spiram intorto, niveo, septorum basi affixa. Corculum cylindraceum, in perispermo carnoso, pallido; radiculâ conversâ ad umbilicum, inferâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos auctus paululùm, anticè visus. 2. *Idem*, posticè. 3. *Ejusdem* petalum separatìm. 4. Stamina aucta, pistillum circumdantia, corollà calyceque demptis. 5. Stamen auctum, visum posticè. 6. *Ejusdem* anticè visi, auctiorisque, transversalis sectio. 7. Pistillum. 8. Capsula, valvulis naturali situ, approximatis. 9. *Eadem*, valvulis disjunctis et expansis ut septum videatur utrumque. 10. Semen..... *a*, folia inferiora aucta.

Obs. Quin genus illud Pedicularibus associetur non obstat, meo sensu, corolla polypetala, quæ eò magis ad monopetalam accedit, quòd petala basi lata inter se contingant, sicque corollam monopetalam profundè partitam simulent. Cæteroquin omnia Pedicularium.

TETRATHECA GLANDULOSA. Tab. 123.

Tetratheca foliis alternis, ovato-oblongis, dentatis, cauleque piloso-glandulosis; laciniis calycinis ovato-lanceolatis.

Fruticulus sesquipedalis, caulibus erectis, teretibus, vestitis ut tota planta pilis glanduloso-capitatis. Folia alterna, subsessilia, dentata, ovato-oblonga, acuta, infrà attenuata, quædam obovata, alia retusa. Flores majores quàm in præcedenti, axillares, solitarii, breviores pedunculis infrà stipatis bracteâ minimâ, subulatâ; laciniis calycinis ovato-lanceolatis, vestitis pilis glanduloso-capitatis ut germen et capsula. Cætera omnia ut in Tetrathecâ pilosâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, petalis staminibusque demptis, calyce conspicuo. 3. Stamen auctum. 4. Petalum separatìm. 5. Capsula, valvulis situ naturali, septo medio connatis. 6. *Eadem*, paululùm aucta, valvulis disjunctis ut septum videatur utrumque, semine unico conspicuo. 7. Semen naturali situ, fune umbilicali infero. 8. *Idem*, inversum, auctum...... *a*, folia superiora insigniter aucta.

BORONIA.

Calyx quadripartitus, inferus. Petala quatuor, sessilia. Antheræ sub apice filamentorum pedicellatæ. Germen disco glanduloso impositum. Capsula quadriloba, quadrilocularis, inter apices quadrifariam dehiscens, loculis submonospermis, intùs chartaceis, elasticis (1).

BORONIA PILOSA. Tab. 124.

Boronia foliis impari-pinnatis, foliolis lineari-lanceolatis, pilosis; floribus solitariis, axillaribus.

Frutex spithameus ad sesquipedalis, ramulis erectis, oppositis, ut ipsemet caulis teretibus, totaque planta pilosis. Folia opposita, impari-pinnata, bi ad quinquejuga; foliolis crassiusculis, lineari-lanceolatis, acutis, punctato-glandulosis, ad articulos petioli communis articulatis. Flores solitarii, terminales axillaresque, pedunculis foliorum longitudine, stipatis bracteis quatuor per paria oppositis, subulatis. Calycis laciniæ ovato-lanceolatæ, vix ciliatæ. Petala ovato-lanceolata, cum acumine reflexo, pellucido-punctata, subciliata, intùs præsertim tomentosa, affixa ut etiam stamina sub disco circulari, glanduloso, basi germinis adnato. Staminum filamenta planiuscula, pilosa, suprà capitato-glandulosa, alterna petalis cæteris longiora; antheræ ovatæ, peltatæ, biloculares, sub apice filamentorum pedicello filiformi affixæ. Germen ovatum, striis quatuor notatum, disco suprà dicto impositum; stylus brevis; stigma peltatum. Capsula quadriloba, lobis obovatis, compressis, castaneis, pellucido-punctatis, ad axem coalitis, inter apices dehiscentibus, intùs membranâ chartaceâ, albâ, solubili, elasticâ vestitis. Semina solitaria, ovata, acuminata, planiuscula, atra, glaberrima, valvularum angulo interiori basim versùs affixa. Corculum planum, in perispermo carnoso, duro, albido; radiculâ ad umbilicum conversâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petalum anticè visum. 3. Pistillum separatim, calyce superstite. 4. *Idem*, auctum, staminibus conspicuis. 5. Stamen seorsùm, auctum.

---

(1) *Smith, Tracts rel. to Nat. Hist.*, p. 285.

BORONIA TETRANDRA. Tab. 125.

Boronia foliis impari-pinnatis, foliolis spatulatis, glabris; filamentis staminum alternis sterilibus.

Frutex cubitalis, pilosus, foliis ramulisque oppositis, foliolis glaberrimis, cum impari bi ad quinquejugis, spatulatis, punctato-glandulosis, in articulato petiolo communi articulatis. Flores axillares, solitarii, pedunculis bracteatis, foliis multò brevioribus. Filamenta staminum pilosa, quatuor scilicet petalis glaberrimis alterna, subulata, sterilia, longiora cæteris subclavatis, fertilibus; antheris ovatis, acutis, bilocularibus, sub eorumdem summo pedicellatis. Stylus quaternis striis notatus; stigma quadrilobum. Capsulæ lobi acuminati. Aliàs ut in præcedenti specie.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. Capsula. 3. *Ejusdem* lobus seorsùm ..... *a*, folium separatìm, paululùm auctum.

BORONIA PILONEMA. Tab. 126.

Boronia foliis oblongis, integerrimis; pedunculis solitariis, terminalibus, ebracteatis, unifloris; filamentis staminum glabris, apice brevissimis.

Planta suffruticosa, vix semi-pedalis; caulibus strictis, teretibus. Folia opposita aut terna, crassiuscula, punctato-glandulosa, enervia, acuta. Pedunculi suprà incrassati, terminales, solitarii, ebracteati, (nisi bracteas velis folia bina aut terna, basi eorumdem, cæteris consimilia). Calycis laciniæ ut petala glabræ et acutæ, ferè eorumdem longitudine. Staminum filamenta subulata, glabra; antheris ovatis, apicis margini pedicello brevi affixis. Capsulæ loculi dispermi. Semina reniformia, nigra. Cæterùm ut in præcedentibus.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petalum separatìm. 3. Stamen auctum. 4. Pistillum auctum. 5. Capsula nondùm matura. 6. *Eadem*, dehiscens, paululùm aucta. 7. *Ejusdem* lobus separatìm, expansus, membranâ elasticâ solutâ. 8. Semen.

Obs. Hæc planta multùm facie quadrans cum Boroniâ parviflorâ, *Smith, Tracts rel. to Nat. Hist.*, *p.* 295, *tab.* 6, ab eâdem differt speciatìm pedunculis ebracteatis, solitariis, staminumque filamentis glabris, suprà insertionem antherarum haud appendiculatis.

TRIGYNIA.

POLYGONUM.

Calyx inferus, quinquepartitus. Corolla nulla. Semen unicum, angulatum.

POLYGONUM ADPRESSUM. Tab. 127.

Polygonum foliis subcordatis, adpressisque stylis crenulatis; racemis simplicibus, axillaribus; caule procumbente.

Planta caule flexuoso, tereti, substriato, procumbens. Folia acuminata, cordata, quædam suborbiculata, petiolis basi subtùs glandulosis, stipulis iisdem oppositis, ovato-lanceolatis, semi-vaginantibus, glabris, membranaceis, pallidè-rufis. Flores polygami, masculi hermaphroditis immixti in racemis simplicibus axillaribusque brevioribus foliis..... Hermaphroditis floribus calyx quinquepartitus, persistens, laciniis ovatis, obtusis, concavis. Corolla nulla. Staminum octo filamenta imò calyci inserta, germinis pressione complanata ut antheræ ovatæ, substeriles, vix evolutæ, minimæ. Germen superum, ovatum, retusum; styli tres, subfoliacei, dilatati, crenulati, reflexi, germini adpressi; stigmata simplicia, acuta. Semen unicum, tectum calyce persistente, turbinatum, obsoletè triquetrum, sexstriatum, stylis adpressis coronatum. Corculum unilaterale, teretiusculum, albidum, typo farinoso candidissimo..... Masculis floribus calyx ut in hermaphroditis; staminum verò filamenta cilindracea; antheris oblongis, versatilibus.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos masculus. 2. *Idem*, auctus. 3. Stamen auctum, visum posticè. 4. Flos hermaphroditus auctus. 5. Semen denudatum calyce, stylis coronatum. 6. *Idem*, auctum. 7. *Ejusdem*, integumento crustaceo dempto, sectio transversalis cum situ corculi.

TETRAGYNIA.

HALORAGIS.

Calyx quadripartitus, superus. Petala quatuor, oblonga. Drupa sicca, nuce quadriloculari.

HALORAGIS RACEMOSA. Tab. 128.

Haloragis foliis lanceolatis, serratis, sessilibus; racemis terminalibus axillaribusque.

Suffrutex cubitalis et ultrà, caule, angulis elevatis, utrinquè basi foliorum enatis, tetragono, ut rami oppositi aut alterni. Folia lanceolata, serraturis obtusis, infrà attenuata, opposita, bipollicaria, exstipulata, foliis junioribus sæpè intrà-foliaceis. Racemi terminales axillaresque, ut plurimùm simplices, pedicellis sessilibus, flore longioribus, subverticillatis, aut affixis pedunculis brevibus, per paria oppositis. Laciniæ calycis persistentes, ovatæ. Petala concava, dorso carinata, utrinquè acuta, quadruplò longiora calyce, (interdùm nulla). Staminum filamenta vix antheris oblongis, acutis, tetragonis longiora. Germen turbinatum, tetragonum, angulis alternis laciniis calycinis; styli quatuor, staminibus breviores; stigmata capitata. Drupa exsucca, ovata, tetragona, angulis alatis, membranaceis, calyce coronata, quadrilocularis, (abortu sæpiùs unilocularis). Semina solitaria, oblonga.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos petalodes. 2. Flos incompletus. 3. *Idem*, laciniis calycinis demptis. 4. *Idem*, staminibus sejunctis. 5. Germen calyce coronatum. (Figuræ præcedentes auctæ.) 6. Drupa, situ dependente. 7. *Ejusdem* sectio transversalis. 8. Drupæ cæteroquin unilocularis abortu, transversalis sectio.

HALORAGIS DIGYNA. Tab. 129.

HALORAGIS foliis alternis, linearibus, axillis multifloris.

SUFFRUTEX semi-orgyalis, caule, ut rami alterni, teretiusculo. Folia crassiuscula, alterna, linearia, integra, apice ut plurimùm albido acuminata, axillis tri ad sexfloris, quibusdam floribus citò deciduis. Calycis laciniæ acutæ. Petala concava, obtusa, calyce triplò longiora. Filamenta staminum brevia; antheræ lineares, tetragonæ, vix petalis breviores. Germen globosum; styli duo, infrà crassiores; stigmata simplicia, obtusiuscula. Drupa globosa, calyce coronata, nuce biloculari; seminibus oblongis, solitariis.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. *Idem.* 3. Petalum anticè visum. 4. Flos, demptis petalis. 5. *Idem,* staminibus demptis, stylis conspicuis. 6. *Idem,* stylis sejunctis. 7. Drupa coronata calyce. 8. *Eadem.* 9. *Eadem,* secta transversìm, intactâ nuce. 10. *Ejusdem,* haud nuce quidem exceptâ, transversalis sectio. (Figuræ omnes auctæ, primâ septimâque exceptis.)

OBS. Stylus interdùm unicus, tuncque nux unilocularis.

CLASSIS X.

DECANDRIA.

MONOGYNIA.

PULTENÆA.

Calyx quinquefidus, utrinquè appendiculatus. Corolla papilionacea, alis vexillo brevioribus. Legumen uniloculare, dispermum (1).

PULTENÆA JUNIPERINA. Tab. 130.

Pultenæa foliis linearibus, mucronatis, glabris; floribus axillaribus terminalibusque, bracteis integerrimis, vix pedunculo longioribus.

Frutex orgyalis, ramis erectis, pilosiusculis, asperatis tuberculis sub foliorum insertione positis, ramosissimus. Folia numerosa, alterna, canaliculata, rigida; petiolo brevi, tereti; stipulis binis, subulatis, membranâ junctis intràfoliaceâ, hyalinâ. Flores axillares aut terminales, solitarii ad quaterni, pedunculo brevi, tereti, piloso, bracteis stipato geminis ad quaternis, vix ejusdem longitudine, ovatis, acutis, scariosis, subciliatis. Calyx quinquefidus, pilosus, laciniis sub-

---

(1) *Smith, New Holl., p. 35.... Will., Spec. Plant., 2, p. 506.*

ciliatis, acutis, superioribus binis inter se approximatis, vix tantùmdem fissis, appendiculis baseos ejusdem geminis, erectis, bracteis conformibus. Corolla papilionacea, imò calyci inserta, petalis unguiculatis. Vexillum alis paulò longius, latum, suborbiculatum, reflexum. Alæ oblongæ, hinc obtusæ, indè appendiculatæ. Carina alis brevior, petalis binis, inflexis, appendiculatis, unicum simulantibus, infrà latere approximatis, bipetala. Filamenta decem staminum distincta, filiformia, incurva, calyci sub petalis inserta; antheræ versatiles, ovatæ, biloculares. Germen ovatum, pilosum; stylus filiformis, vix staminum longitudine; stigma acutum. Legumen ovatum, acuminatum, compressiusculum, pallidè fulvum, pilosum, uniloculare, bivalve. Semina bina (altero sæpè abortivo), reniformia, castanea, nigro-punctata, glabra, brevi funiculo suturæ superiori affixa; umbilico margine carunculato, albido.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petala soluta, paululùm aucta. 3. Calyx, appendiculo unico conspicuo. 4. Pistillum obvolutum staminibus paululùm auctis, calyce transversìm secto. 5. *Idem*, staminibus demptis. 6. Legumen paululùm auctum. 7. Semen æquè vix auctum.

PULTENÆA DENTATA. Tab. 131.

Pultenæa foliis linearibus, tuberculatis; capitulo terminali, bracteato; appendiculis dentatis, vix calyce brevioribus.

Fruticulus pedalis et ultrà, ramis alternis, teretibus, subpilosis, gracilibus, superioribus laxiusculis. Folia numerosa, alterna, linearia, subacuta, infrà attenuata, subsessilia, punctis elevatis numerosis tuberculata, intùs canaliculata, stipulis baseos geminis, subulatis, brevibus, adpressis, subintràfoliaceis. Flores capitati, sæpiùs terminales, singuli bracteâ stipati suborbiculatâ, calycis ferè longitudine, squamiformi, coriaceâ. Calyx suprà pilosus, laciniis acutis, longitudine æqualibus, superioribus binis paululùm latioribus, vix tam fissis; appendiculis baseos geminis ejusdem ferè longitudine, oblongis, conduplicatis, suprà pilosis, tri ad quadridentatis, dentibus ut plurimùm subulatis. Corolla minor quàm in præcedenti, vexillo emarginato, carinæ petalis geminis obtusis; aliàs consimilis ut stamina et pistillum. Legumen ovatum, gibbum, acuminatum, compressiusculum, pilis tectum adpressis, gilvum, uniloculare, bivalve, semi-

nibus binis (altero sæpè abortivo) ovatis, castaneis, ad umbilicum albido-carunculatis, brevi funiculo suturæ rectiori affixis.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. Petala soluta. 3. Calyx cum appendiculis baseos expansis. 4. *Idem*, auctus, cum appendiculis solutis. 5. Pistillum obvolutum staminibus auctis, calyce transversìm secto. 6. *Idem*, staminibus demptis. 7. Legumen. 8. *Idem*, auctum. 9. Semen. 10. *Idem*, auctum..... *a*, ramuli secti et foliis denudati, pars aucta, ut stipulæ videantur. *b*, folium auctum, externè visum. *c*, *idem*, visum internè.

AOTUS.

Calyx quinquefidus, simplex. Corolla papilionacea, alis vexillo brevioribus. Stylus filiformis; stigma obtusum. Legumen uniloculare, dispermum (1).

AOTUS FERRUGINEA. Tab. 132.

Aotus foliis sparsis, petiolatis, margine revoluto linearibus, obtusis; floribus geminis, axillaribus; ramulis summis ferrugineis.

Frutex orgyalis, ramulis teretibus, numerosis, vestitis pilis brevibus densisque, cinereis, summis verò ferrugineo-sericeis ut calyces et pedunculi aversaque pagina foliorum cum petiolis. Folia sparsa, exstipulata, marginibus revolutis linearia, tenuissimè tuberculata, apice glanduloso obtusa, quædam acuminata, plurima subverticillata; petiolis brevibus, planiusculis. Flores ebracteati, axillares, bini, (abortu solitarii, rudimento conspicuo); pedunculis vix calycis longitudine, teretibus. Calycis laciniæ ovatæ, acutæ, superioribus binis vix tantùmdem fissis. Corolla petalis unguiculatis papilionacea, vexillo emarginato, suborbiculato, paulò longiori alis oblongis, obtusis, appendiculatis, carinâ iisdem breviori, gibbâ, appendiculatâ, basi fissâ. Filamenta decem staminum distincta, planiuscula; antheris bilocularibus, ovatis. Germen ovatum, pilosum; stylus filiformis,

(1) *Smith, Decandrous papilionaceous plants of New Holl., p. 6, form the Annals of Botany, vol. 1.*

subincurvus;

subincurvus; stigma obtusum. Legumen suborbiculatum, rugosulum, pilosum, uniloculare, bivalve; seminibus binis (altero interdùm abortivo), reniformibus, compressis, elevato-puncticulatis, castaneis, brevi funiculo suturæ superiori affixis.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flores. 2. Petala soluta. 3. Calyx seorsùm. 4. Stamina, calyce transversìm secto. 5. *Eadem*, aucta, calyce cæteroquìn longitudinaliter fisso, expansa. 6. Pistillum auctum. 7. Legumen. 8. Semen..... *a*, folia aucta.

GOMPHOLOBIUM.

CALYX campanulatus, simplex, quinquepartitus. Corolla papilionacea. Stigma, simplex, acutum. Legumen ventricosum, uniloculare, polyspermum (1).

GOMPHOLOBIUM LATIFOLIUM. Tab. 133.

GOMPHOLOBIUM foliis ternatis, obovato-oblongis, planis, venosis; ramulis angulatis, glabris; carinâ fimbriatâ (2).

FRUTICULUS glaber, vix pedalis, ramis teretiusculis, fulvidis ut ramuli, angulis sub basi petiolorum enatis angulati. Folia alterna, ternata, foliolis adultis planis, oblongis, obtusis, subacuminatis, venosis, infrà attenuatis, junioribus verò margine reflexis; petiolo communi brevi, intùs sulcato, stipulis munito binis, subulatis, brevissimis, vix conspicuis, fulvis, ramulum inter et petiolum sæpiùs inflexis. Flores solitarii aut bini, terminales, pedunculis elongatis, teretibus, munitis bracteis aliquot squamiformibus, subulatis, oppositis aut alternis. Calycis laciniæ æquales, ovàto-lanceolatæ, intùs ad margines tomentosæ. Papilionaceæ corollæ petala ungue brevi, vexillo lato, emarginato, alis appendiculatis longiori, carinâ iisdem breviori, vix appendiculatâ, utrinquè plus minùsve fissâ, margine tomentoso fimbriatâ, niveâ. Filamenta decem staminum distincta, subulata, plana, imò calyci sub petalis inserta; antheræ versatiles, ovatæ, biloculares. Germen ovatum; stylus incurvus, subulatus; stigma acutum. Legumen subinflatum, glo-

(1) *Smith, Linn. Trans. 4, p.* 220.

(2) *Smith, Decandrous papilionaceous plants of New Holl., p. 7, from the Annals of Botany, vol.* 1.

bosum, uniloculare, bivalve. Semina octo ad sedecim, reniformia, testacea, funiculis umbilicalibus elongatis suturæ superiori affixa, (plurima abortiva).

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petala soluta, expansa. 3. Calyx seorsùm. 4. Stamina, calyce transversìm secto. 5. Pistillum solutum. 6. Legumen. 7. *Idem*, seminibus conspicuis, dehiscens...... *a*, ramuli sectio foliis angustioribus.

Obs. Variat foliis angustioribus ut figurâ *a* ostenditur et procul dubio foliis etiam latioribus. Adnotare expedit me ad Gompholobium Latifolium Cel. *Smith* hanc retulisse plantam, innixum solummodò specifico brevi enunciato charactere.

GOMPHOLOBIUM TOMENTOSUM. Tab. 134.

Gompholobium foliis impari-pinnatis, bi ad quadrijugis, stipulaceis; caule tomentoso, erecto; carinâ fimbriatâ.

Frutex tomentosus, albidus, caule ramulisque teretibus, erectis, pedalis et ultrà; foliis alternis, pinnatis cum impari, bi ad quadrijugis, foliolis linearibus, subulatis, marginibus reflexis; stipulis baseos petioli communis duabus, subulatis, pallidè croceis. Flos minor quàm in præcedenti, pedunculis brevibus, cæteroquìn in toto conformis, ne carinâ quidem fimbriatâ exceptâ. Sic de legumine dicendum.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Legumen calyce cinctum. 2. *Ejusdem* valvula seorsùm, immaturis seminibus conspicuis.

GOMPHOLOBIUM ELLIPTICUM. Tab. 135.

Gompholobium foliis simplicibus, ellipticis, oblongisve, acuminatis, subverticillatis; capitulis terminalibus, racemosis.

Frutex sesquiorgyalis, ramis erectis, substriatis, sericeis ut pagina foliorum aversa, petioli, calyces et pedicelli. Folia exstipulata, petiolis semiteretibus, brevibus, elliptica, acuminata, marginibus reflexis, aut oblonga, quaterna sæpiùs aut quina subverticillata. Flores capitato-racemosi, singuli bracteâ stipati ovatâ, subulatâ, caducâ, pedicellis vix calyce longioribus; pedunculo communi fructigero tuberculis asperato, fructibus imis citò deciduis, remanentibus cæteris umbellam ut plurimùm simulantibus. Calycis laciniæ subæquales, acutæ. Corolla vexillo integerrimo, carinâ bipetalâ, nudâ, alarum longitudine. Filamenta staminum filiformia. Germen villosum; stylus ut stamina inflexus, stigmate acuto.

Legumen ovatum, utrinquè acuminatum, pilis intortis valdè hygrometricis villosum, flavidum, uniloculare, bivalve; seminibus sex ad decem, reniformibus, compressis, levibus, castaneis, suturæ superiori affixis, (plurimis abortivis).

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos clausus. 2. *Idem*, expansus. 3. Petala aucta. 4. Calyx naturali paulò major. 5. Stamina cum pistillo, etiam paululùm aucta. 6. Pistillum naturali paulò majus. 7. Legumen. 8. *Idem*, dehiscens. 9. *Idem*, valvulis expansis, seminibus conspicuis. 10. Semen auctum, funiculo umbilicali superstite.

GOMPHOLOBIUM SPINOSUM. Tab. 136.

GOMPHOLOBIUM aphyllum, ut spinæ subdichotomæ striatum.

FRUTEX semi-orgyalis, ramosissimus, aphyllus, striatus; pedunculis persistenti-spinosis, subdichotomis, quinquestriatis, rectis aut incurvis. Flores solitarii aut bini, pedicello brevi, tereti, calyceque sericeis, laciniis calycinis lineari-lanceolatis. Papilionaceæ corollæ vexillum emarginatum, paulò brevius alis carinâque bipartitâ aut bipetalâ, nudâ, subæqualibus. Filamenta decem staminum distincta, subulata, inæqualia; antheris bilocularibus, ovatis. Germen ovato-oblongum, pilosum; stylus subulatus, compressus; stigma acutum. Legumen ovato-oblongum, subventricosum, intùs extùsque pilosiusculum, uniloculare, bivalve, seminibus fœtum duobus ad quatuor reniformibus, suturæ superiori affixis.

HABITAT in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. Petala soluta, expansa. 3. Calyx. 4. Stamina vix aucta, calyce transversìm secto. 5. Pistillum, dempto calyce. 6. Legumen.

DAVIESIA.

CALYX angulatus, simplex, quinquefidus. Corolla papilionacea. Stigma simplex, acutum. Legumen compressum, monospermum (1).

DAVIESIA UMBELLATA. Tab. 137.

DAVIESIA foliis lanceolatis, planis, pungentibus, lævibus; pedunculis axillaribus, umbellatis, subquadrifloris; calyce truncato (2).

---

(1) *Smith, Linn. Trans.* 4, *p.* 220.

(2) *Smith, Decandrous papilionaceous plants of New Holl., p.* 9, *from the Annals of Botany, vol.* 1.

FRUTEX orgyalis, ramulis striatis, spinosis ramosissimus. Folia lineari-lanceolata, acuminata, subtùs plana, paginâ verò superiore nervo longitudinali medio elevata, alterna, sessilia, pollicaria et ultrà, superiora sensìm minora. Flores bini ad quaterni, pedicellis nudis, teretibus eorumdem longitudine, congestis in umbellam, pedunculo communi axillari, squamis stipato oblongis, obtusis acutisve, superioribus longioribus, involucrum mentientibus. Calycis angulati laciniæ breves, obtusæ, æquales. Papilionaceæ corollæ petala unguiculata, vexillo alis longiori, emarginato, subbilobo; alæ obtusæ, appendiculatæ; carinâ bipetalâ, iisdem breviori. Filamenta decem staminum distincta, subulata, planiuscula; antheris suborbiculatis. Germen oblongum, compressum, læve, utrinquè attenuatum; stylus inflexus, subulatus, infrà compressus; stigmate acuto. Legumen ventricosum, compressum, utrinquè acutum, nitidum, uniloculare, valvulis elasticis, testaceis, bivalve. Semina solitaria (sæpiùs bina), reniformia, rufa, nigro-maculata, ad umbilicum pallido-caruncultata, brevi funiculo rectiori suturæ affixa.

HABITAT in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petala soluta, expansa. 3. Calyx seorsùm. 4. Pistillum cum staminibus, calyce transversìm secto. 5. Figura *eadem*, aucta. 6. *Eadem*, staminibus demptis. 7. Legumen, calyce superstite. 8. *Idem*, dehiscens, seminibus conspicuis.

OBS. Hanc ad Cel. *Smith* Daviesiam umbellatam referre non dubitavi, sed fatear oportet nullo me àlio momento quàm brevi suprà enunciato charactere specifico fuisse innixum.

SPHÆROLOBIUM.

CALYX quinquefidus, irregularis. Corolla papilionacea. Stigma carinatum, membranaceo-dilatatum. Legumen pedicellatum, turgidum, obliquum, monospermum. Stamina duo suprema distantia (1).

SPHÆROLOBIUM MINUS. Tab. 138.

SPHÆROLOBIUM foliis subulatis; caule tereti; floribus subsolitariis, axillaribus.

PLANTA suffruticosa, caulibus spithameis, adscendentibus, teretibus ut ramuli recti aut inflexi. Folia alterna, subulata, semi-unguicularia, citò decidua, petiolis

(1) *Smith, Decandrous papilionaceous plants of New Holl., p.* 11, *from the Annals of Botany, vol.* 1.

remanentibus, appressis, suborbiculatis, squamulas mentientibus. Flores solitarii aut bini, pedunculis longitudine calycis, axillares, foliis, ut suprà dictum, citò deciduis remanentibusque petiolis squamiformibus, racemum mentientes terminalem aut ramulorum apice subjectum. Calyx bilabiatus, laciniis subæqualibus, acutis, labii superioris duabus sub summo dilatatis, latioribus. Petala unguiculata, longitudine subæqualia, vexillo suborbiculato, alis obovatis, appendiculatis, carinâ etiam appendiculatâ, suprà dilatatâ, bipartitâ aut bipetalâ. Filamenta staminum distincta, subulata, planiuscula; antheræ versatiles, ovatæ, biloculares. Germen ovatum, pedicellatum; stylus complanatus, inflexus vel retrofractus, intortus; stigmate laterali, dilatato, membranaceo. Legumen subglobosum, pedicellatum, biloculare, bivalve; seminibus solitariis aut binis, reniformibus, glabris, castaneis.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. Petala soluta, expansa. 3. Calyx seorsùm. 4. Pistillum et stamina, calyce transversìm secto. 5. *Idem*, sejunctis staminibus. (Figuræ præcedentes auctæ.) 6. Legumen, dependente situ, dempto calyce. 7. Legumen valvulis expansis, seminibus conspicuis. 8. Semen auctum.

DILLWYNIA.

Calyx simplex, quinquefidus, bilabiatus. Corolla papilionacea. Stylus reflexus. Stigma obtusum, pubescens. Legumen ventricosum, uniloculare, dispermum (1).

DILLWYNIA GLABERRIMA. Tab. 139.

Dillwynia foliis lævibus; floribus terminalibus, subcapitatis (2).

Frutex semi-orgyalis, ramis erectis, teretibus, ramulis subangulatis. Folia sparsa, semiteretia, linearia, subacuta, infrà attenuata, subpetiolata, intùs medio striâ longitudinali insculpta, glabritie nitida, unguicularia et ultrà, stipulis geminis stipata, minimis, nonnisi oculo armato conspicuis. Flores, pedunculis basi stipatis bracteâ squamiformi, oblongâ, subacutâ, vix ciliatâ, mediumque versùs geminis aliis conformibus, suboppositis, terminales, capitato-racemosi. Calycis laciniæ acutæ, subciliatæ, geminæ labii superioris latiores longioresque

(1) *Smith, Decandrous papilionaceous plants of New Holl., p. 12, from the Annals of Botany, vol. 1.*

(2) *Smith, loco citato.*

cæteris tribus inter se æqualibus. Petala unguiculata, vexillo lato, emarginato, lobis rotundatis bilobo, vix longiori alis oblongis, obtusis, appendiculatis; carinâ iisdem breviori, bipartitâ aut bipetalâ, superiori margine subciliatâ, albidâ. Filamenta decem staminum distincta, subulata; antheris versatilibus, ovatis, bilocularibus. Germen ovatum, pilosum; stylus brevis, reflexus, teres, crassiusculus; stigmate capitato, pubescente. Legumen ovatum, hìnc stylo, indè pedicello acuminatum, pilis adspersum raris, uniloculare, bivalve, seminibus geminis fœtum (altero interdùm abortivo) reniformibus, castaneis, lævibus, brevi funiculo suturæ superiori affixis; umbilico carunculâ munito pallidâ, infernè bifidâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Calyx seorsùm. 2. Petala sejuncta, expansa. 3. Stamina, calyce transversìm secto. 4. *Eadem*, aucta. 5. Pistillum auctum, calyce secto transversìm. 6. Legumen, calyce superstite. 7. *Idem*, seorsùm. 8. Semen...... *a*, ramulus floriger. *b*, folium internè visum, auctum. *c*, *ejusdem* sectio transversalis.

Obs. Hanc Dillwyniam esse glaberrimam Cel. *Smith* admonendum duco, me haud secùs eruisse, quàm ex enunciato brevi charactere specifico, forsitanque mihi completam descriptionem fuisse desiderandam.

DILLWYNIA OBOVATA. Tab. 140.

Dillwynia foliis obovato-oblongis, acutis, oppositis; floribus axillaribus.

Frutex ramosissimus, vix orgyalis. Folia numerosa, subpetiolata, stipulis minimis, nonnisi oculo armato conspicuis stipata, obovato-oblonga, acuta, minutissimè tuberculata, avenia, inflexis marginibus paginâque interiore pallidè sulphurea, decussatìm opposita, ramulis costâ longitudinali sub petiolo singulo elevatâ obtusè tetragonis. Flores solitarii aut bini, axillares, pedunculis vix eorumdem longitudine, basi mediumque versùs stipatis bracteis squamiformibus, acutis, oppositis, raró alternis, ut plurimùm deciduis. Calycis bilabiati, intùs margine tomentosi, laciniæ superiores binæ cæteris latiores. Vexillum suborbiculatum, integerrimum, alis ejusdem longitudine; carinâ bipartitâ aut bipetalâ, nudâ, iisdem breviori. Stylus longior quàm in specie præcedenti. Legumen ovatum, subventricosum, pilosiusculum. Cæterùm præcedenti conformis, ne carunculâ quidem bifidâ seminum exceptâ.

Habitat in terrâ Van-Leuwin.

1. Flos. 2. Petala soluta, expansa. 3. Calyx seorsùm. 4. Stamina et pistillum aucta, calyce transversìm secto. 5. Stamen seorsùm auctius, filamento partìm resecto. 6. Pistillum, calyce secto transversìm, auctum. 7. Legumen. 8. *Idem*, dehiscens, valvulis expansis, seminibus conspicuis.

ERIOSTEMON.

Calyx quinquepartitus. Petala quinque, sessilia. Stamina plana, ciliata, (addo aut nuda); antheris pedicellatis, terminalibus. Stylus è basi germinis. Capsulæ quinque, coalitæ, nectario toruloso insidentes. Semina arillata (1).

ERIOSTEMON SQUAMEA. Tab. 141.

Eriostemon foliis lanceolatis, subtùs squamatis; racemis axillaribus.

Arbor quinque ad septemorgyalis, ramis patentibus, ramulis angulatis, vestitis ut pagina foliorum aversa, petioli et pedunculi squamis orbiculatis, peltatis, subciliatis, adpressis, rufis aut argenteis. Folia lanceolata, vix acuminata, subpetiolata, pellucido-punctata, avenia, paginâ inferiori subargentea, contrita ut flores et fructus aurantiacum odorem spargentia. Florum racemi subcorymbosi, breves, pauciflori, pedicellis basi squamâ deciduâ stipatis. Calycis laciniæ ovatæ, acutæ. Petala ovato-oblonga, sessilia, patentia, sub disco inserta glanduloso, ad limbum subciliato, germinis basim cingente. Staminum filamenta subulata, ibidem inserta, petalorum ferè longitudine; antheris versatilibus, ovatis, bilocularibus. Germen superum, ovatum, quinquestriatum, suprà quinquefidum vel quinqueappendiculatum; stylus staminum longitudine; stigma obtusum. Capsulæ quinque, ovatæ, compressiusculæ, acuminatæ, hìnc gibbæ, rugosæ, conniventes, intùs et apice dehiscentes, arillo seu cocculo conformi, cartilagineo, elastico, similiter dehiscente; (quædam abortivæ). Semina solitaria, subreniformia, atra, angulo interiori capsulæ affixa; corculo cilindraceo; radiculâ superâ, in perispermo carnoso, oleoso.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos. 2. *Idem*, petalis demptis. 3. Pistillum. 4. Capsulæ conniventes. 5. Capsula seorsùm. 6. Arillus semine fœtus, dehiscens. 7. *Idem*, semine dempto. 8. Semen. 9. *Ejusdem* sectio longitudinalis cum situ et figurâ corculi. (Figuræ omnes auctæ, primâ tantummodò exceptâ.)

Obs. Hanc filamentis staminum quamvis nudis præditam, Eriostemon dixi eò confidentiùs quòd plusquam æquum jam crescunt Rutacearum genera. Addam, hæc numero fructificationis partium excepto, species esset altera Melicopes, *Forst. gen.*, *p.* 55, *tab.* 28, Rutaceis etiam associandæ.

---

(1) *Smith*, *Linn. Trans.* 4, *p.* 221.

PENTAGYNIA.

SPERGULA.

Calyx pentaphyllus. Petala quinque, integra. Stamina quinque ad decem. Capsula ovata, unilocularis, quinquevalvis.

SPERGULA APETALA. Tab. 142.

Spergula subacaulis; foliis oppositis, connatis, imbricatis; floribus apetalis, pentandris.

Planta subacaulis, foliis lineari-subulatis, oppositis, vix pollicaribus, basi connatis, imbricatis, numerosis. Florum pedunculi ex axillis solitarii, foliorum longitudine. Laciniæ calycis ovatæ, subulatæ. Corolla nulla. Staminum filamenta quinque, subulata, inserta sub pistillo, laciniis calycinis alterna, iisdem dimidiò breviora; antheris suborbiculatis, bilocularibus, ferrugineis. Germen globosum; styli quinque, breves; stigmata obtusa. Capsula ovata, unilocularis, suprà dehiscens, semi-quinquevalvis. Semina plura, reniformia, testacea, vix marginata, funiculis capillaribus, centralibus affixa. Corculum incurvum, typo farinaceo circumpositum; radiculâ superâ, ad axem versâ.

Habitat in capite Van-Diemen.

1. Flos cum pedunculo et foliis. 2. Capsula. 3. *Eadem*, dehiscens. 4. *Ejusdem* transversalis sectio. 5. Semen. 6. *Ejusdem* sectio longitudinalis cum situ et figurâ corculi.

Obs. Calyx interdùm hexaphyllus, tuncque numerus staminum senarius ut et stylorum, valvularumque capsulæ.

FINIS TOMI PRIMI.

CENTROLEPIS fascicularis.

Poiteau Del. Plée Sculp.

MNIARUM pedunculatum.

Poiteau Del. Plée sculp.

Tab. 3.

Poiteau Del.

PIMELEA ligustrina.

Plée Sculp.

PIMELEA ſpatulata.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

Sauvage Del.

PIMELEA ferruginea.

Plée Sculp.

PIMELEA nivea.

PIMELEA drupacea.

Poiteau Del. Plée Sculp.

UTRICULARIA dichotoma.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

Poiteau Del.

GENOSIRIS fragilis.

Plée Sculp.

XYRIS operculata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Poiteau Del.

LEPIDOSPERMA elatior.

Plée Sculp.

LEPIDOSPERMA gladiata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

LEPIDOSPERMA longitudinalis.

LEPIDOSPERMA globosa.

Poiteau Pxt.   Plée sculp

LEPIDOSPERMA filiformis.

Poiteau Del.

Plee Sculp

Tab. 16.

Poiteau Del. LEPIDOSPERMA squamata. Plée Sculp.

LEPIDOSPERMA tetragona.

Poiteau Del. Plée Sculp.

1 2 3 4

Poiteau Del. SCHŒNUS acutus. Plée Sculp.

SCHŒNUS filum.

Poiteau Del. Plée Sculp.

SCHŒNUS lanatus.

AGROSTIS ovata.

Poiteau Del.

Plée sculp.

AGROSTIS quadrifida.

Poiteau Del. [illegible] Sculp.

AGROSTIS virginica.

[illegible] Del. *Plée Sculp.*

UNIOLA distichophylla.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

Poiteau Del.

FESTUCA pectinata

V. Plée Filius Sculp.

Tab. 26'.

FESTUCA scabra.

Poiteau Del. Plée Sculp.

FESTUCA littoralis.

Poiteau Del. Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6

Poiteau Del. **BROMUS** arenarius. Plée Sculp.

Poiteau Del.

STIPA elegantissima.

Plée sculp.

Poiteau Del.

STIPA flavescens.

Plée Sculp.

Poiteau Del.

AVENA filiformis.

V. Plée Filius Sculp.

AVENA quadriseta.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Tab. 33.

ARUNDO semiannularis.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Poiteau Del.   ARUNDO penicillata.   Plée Sculp.

ARUNDO poæformis.

Poiteau Del. Plée Sculp.

ADENANTHOS cuneata.

Sauvage Del. Plée Sculp.



ADENANTHOS obovata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

ADENANTHOS sericea.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

Poiteau Del

HAKEA ruscifolia.

V Plee Filius Sculp

1

HAKEA epiglottis.

Sauvage Del. Plée Sculp.

HAKEA clavata.

Sauvage Del.

Plée Sculp.

EMBOTHRIUM tinctorium.

Poiteau Del. Plée Sculp.

1 2 3 4 5

EMBOTHRIUM tinctorium.

Sauvage Del. Plée Sculp.

Sauvage Del.

EMBOTHRIUM truncatum.

Plée Sculp.

PERSOONIA *juniperina*

Poiteau Del. *Plée Sculp.*

OPERCULARIA vaginata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Poiteau Del.

OPERCULARIA spermacocea.

Plée Sculp.

OPERCULARIA apiciflora.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Tab. 40.

Poiteau Del.

MITRASACME pilosa.

Plee Sculp.

CENARRENES nitida.

Poiteau Del. Plée Sculp

EXACUM vaginale.

Poiteau Del.

Plée Sculp.



EXACUM ovatum.

Poiteau Del. V. Plée Filius Sculp.

GONOCARPUS tetragyna.

Poiteau Del. Plée Sculp.

SHEFFIELDIA incana.

Poiteau Del. Plée Sculp.

EPACRIS myrtifolia.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Poiteau Del.

EPACRIS heteronema.

Plée Sculp.

Tab. 57

Poiteau Del.

EPACRIS lanuginosa.

Plée Sculp.

EPACRIS impressa.

Piron Del. Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6

EPACRIS cerinthoides.

Poiteau Del. Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6 7 8 9

STYPHELIA richei.

Poiteau Del. Plée Sculp.

STYPHELIA glauca.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

STYPHELIA serrulata .

Poiteau Del .

Plée Sculp .

1 2 3 4 5 6 7

STYPHELIA cordata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Tab. 64.

STYPHELIA virgata.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

Tab . 65 .

STYPHELIA collina .

Poiteau Del .

Plée Sculp .

STYPHELIA. trichocarpa.

Poiteau Del. Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6 7 8

STYPHELIA obovata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

STYPHELIA abietina.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Poiteau Del.

STYPHELIA oxycedrus.

V. Plée Filius Sculp.

Poiteau Del. CAMPANULA littoralis. Plée Sculp.

Poiteau Del.

Lobelia gibbosa.

Plée Sculp.

LOBELIA alata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

LOBELIA cuneiformis.

Poiteau Del. Plée Sculp.

LOBELIA heterophylla.

Poiteau Del. Plée Sculp.

GOODENIA elongata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6 7 8

GOODENIA repens.

Piron Del. *V. Plée Filius Sculp.*

Tab. 77

VELLEIA trinervis

Poiteau Del

Plée Sculp

Poiteau Del.

SCÆVOLA globulifera.

Sellier Sculp.

Tab. 79.

Poiteau Del. SCÆVOLA crassifolia. Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6 7

SCÆVOLA cuneiformis.

Poiteau Del. Plée Sculp.

CYATHODES glauca.

Piron Del. Plée Sculp.

Péron Del.

CYATHODES distichа.

Plée Sculp.

POGONIA tetrandra.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Poiteau Del. **CEANOTHUS** spatulata. Plée Sculp.

CEANOTHUS globulosa.

Poiteau Del. Plée Sculp.

POMADERRIS elliptica.

Poiteau Del. Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11

Poiteau Del.

POMADERRIS apetala.

Plée Sculp.

LASIOPETALUM triphyllum.

Poiteau Del. Plée Sculp.



Piron Del.

BILLARDIERA longiflora.

Plée Sculp.

BILLARDIERA fusiformis.

Piron Del. Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6 7 8

VIOLA hederacea.

Poiteau Del. Plée Sculp.

ACTINOTUS helianthi.

Poiteau Del. Plee Sculp.

Poiteau Del.

THESIUM drupaceum.

Plée Sculp.

CANTHIUM quadrifidum.

Poiteau Del. Plée sculp.

COPROSMA hirtella.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

CHENOPODIUM baccatum.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

Poiteau Del.

SWERTIA parnassifolia.

Plée Sculp.

ERYNGIUM vesiculosum.

Poiteau Del. Plée Sculp.

AZORELLA lanceolata.

Poiteau Del.

V. Plée Filius Sculp.

AZORELLA ovata.

Poiteau Del. Plée Sculp

Tab . 101 .

1 2 3 4

Poiteau Del .

AZORELLA compressa .

Plée Sculp .

Poiteau Del.

SCANDIX glochidiata.

Plée Sculp.

Apium prostratum.

Poiteau Del. Plée Sculp.

1 3 2 4 5 6 7 8 9

STACKHOUSIA monogyna.

Poiteau Del. Plée sculp.

DROSERA binata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

DROSERA spatulata.

DROSERA peltata.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

Poiteau Del. BORYA nitida. Plée Sculp.

HYPOXIS hygrometrica.

Poiteau Del.

V. Plée Filius Sculp.

1 2 3 4

ORNITHOGALUM dichotomum.

Poiteau Del. Plée Sculp.

ORNITHOGALUM triandrum.

Poiteau Del. Plée Sculp.

ALETRIS punicea.

Piron Del. Plée Sculp.

Tab. 112.

Piron Del.

ANOPTERUS glandulosa.

Plée Sculp.

Tab 113.

Poiteau Del.

LORANTHUS floribunda.

V. Plée Filius Sculp.



FRANKENIA tetrapetala.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

GAHNIA psittacorum.

Poiteau Del. Plée Sculp.

GAHNIA trifida.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

EHRHARTA distichophylla.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

Poiteau Del. EHRHARTA stipoides. V. Plée Filius Sculp.

LOMANDRA longifolia.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Tab. 120.

LOMANDRA rigida.

Poiteau Del. Plee Sculp.

CAMPYNEMA linearis.

Piron Del. Plée Sculp.

Poiteau Del. **TETRATHECA pilosa.** Plée Sculp.

TETRATHECA glandulosa.

Poiteau Del. Plée Sculp.

Poiteau Del.

BORONIA pilosa.

V. Plée Filius Sculp.

BORONIA tetrandra.

V. Plée Filius Sculp.

BORONIA pilonema.

V. Plée Filius Sculp.

Poiteau Del.

POLYGONUM adpressum.

Plée Sculp.

Poiteau Del.

HALORAGIS racemosa.

Plée Sculp.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

Poiteau Del. HALORAGIS digyna. Plée Sculp.

Poiteau Del. **PULTENÆA** *juniperina.* Plée Sculp.

PULTENÆA dentata.

AOTUS ferruginea.

Tab. 133.

Poiteau Del. GOMPHOLOBIUM latifolium. Plée Sculp.

GOMPHOLOBIUM tomentosum.

GOMPHOLOBIUM elliptieum.

Poiteau Del.

Plee Sculp.

GOMPHOLOBIUM spinosum.

Tab 137

DAVIESIA umbellata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

SPHÆROLOBIUM minus.

DILLWYNIA glaberrima.

Poiteau Del. Plée Sculp.

DILLWYNIA obovata.

Poiteau Del. Plée Sculp.

ERIOSTEMON squamea.

Poiteau Del.

Plée Sculp.

SPERGULA apetala.

Poiteau Del. Plée Sculp.